6
21-f
24

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
21 H I
18

[...]otheca
[...]. Rom.
[...]Jesu

48

24
f
38

6-27-24

Digitized by Google

CHRISTOPHORI BECHTLINI
è
Societate JESU

EPIGRAMMATUM
LIBRI QUATUOR.

RATISBONÆ,
Typis JOANN. GEORGII HOFMANNI.
M. DC. XCVI.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA
BIBL. SEC. COLL. ROM. SOC. IESU

Facultas Reverendi P. Viſitatoris cum Summâ Privilegii Cæſarei.

EGo Albertus Mechtl, Societatis JESU per Superiorem Germaniam Viſitator, ac Vice-Provincialis, factâ mihi poteſtate à Patre noſtro, Thyrſo Gonzalez, Præpoſito Societatis JESU Generali, permitto, ut quatuor epigrammatum Libri à Chriſtophoro Bechtlin Societatis noſtræ Sacerdote conſcripti, & à deputatis Patribus lecti, probatiq; in Lucem vulgentur; ſimulq; eidem poteſtatem facio utendi Privilegio Cæſareo, quo omnibus & ſingulis Typographis, Bibliopolis atq; aliis quibuscunq; librariam negotiationem exercentibus ſub confiſcatione librorum, aliisq; gravibus pœnis ſeriò ſtricteq; inhibetur, ne quis Libros ullos à Societatis Patribus editos hucusq; aut impoſterum edendos intra S. R. Imp. Regnorumq; & Dominiorum Sac. Cæſ. Majeſtatis hereditariorum fines ſimili, aliòve charactere aut formâ, ſive in toto ſive in parte excudere vel recudere vel aliò recudendos mittere, aut alibi etiam impreſſos invehere, vendere aut diſtrahere clam ſeu palam citra ſupradictorum Patrum conſenſum aut teſtimonium audeat, vel præſumat. Cujus rei fidem facio chirographo, & officii mei ſigillo. Landſpergæ, 19. April. 1696.

Illuſtriſſimo, Excellentiſſimoq́;

DOMINO,

DOMINO ERNESTO FRIDERICO,

Sac. Rom. Imp. Comiti ac Domino de Windiſchgræz; Lib. Bar. Waldſtenii, & in Valle; Trautmansdorpii, Gözendorpii, & S. Petri in Augiâ Domino; Supremo in Styriâ Stabuli Magiſtro Provinciali Hereditario &c. Sac. Cæſ. Majeſt. Imperiali Conſiliario Aulico; & Regiæ Majeſtatis Imperii Romani Camerario, &c. Domino, Domino meo plurimùm Gratioſo.

NOn deſtinatione tantummodo meâ, ſed ſponte etiam ſuâ ad Excellentiſſimum Parentem

 tuum

tuum, Comes Illuſtriſſime, ibant hi quatuor Epigrammatum Libelli; utpote magnam partem domi illius in Batavis nati, quando ſub eodem Lare eodem me ſecum contubernio dignatus eſt. Solebam enim & ibi, quod ubiq́; ſoleo: Sacroſanctas ſcilicet habere temporis particulas, easdemq́; avarè colligere, ut nihil minùs otioſum nobis ſit, quàm ipſum otium. Mutamus Studia, non omittimus; & literis Severioribus feſſi ſuccedaneas amplectimur amœniores. Ex quibus libelli iſti prodierunt, quos cupiebam extare publicum Gratitudinis in Illum meæ ſeu pignus, ſeu monumentum. Id enim non Illius tantùm erga me Benevolentia, ſed & Beneficentia poſtulabat, quâ vadatum obſtrictumque ita me ſentio, palam

palam ut cogar profiteri, impoſitam ab eo mihi fuiſſe neceſſitatem, & vivendi & moriendi obæratum. At ecce dum iſta molimur, mors inopinata, communeq́; mortalibus fatum conſilia noſtra diſturbat, Camœnasq́ue has meas ſiſtere gradum jubet, ac receptui canere. Verùm obfirmatas reperit, minimeq́; obſecundantes; utique, poſtquam diviniſſimus Siracides conjectis in Te, Illuſtriſſime Comes, oculis in aurem illis hoc verbũ ſuggeſſit: * *Mortuus eſt Pater ejus, & quaſi non eſt mortuus; ſimilem enim reliquit ſibi poſt ſe.* Ita eſt: & ſanè vox hæc vivo adhuc Illo per Aulam Cæſaream, cùm Viennæ etiamnum degerem, palam ibat: patriſſare Te, & quaſi reflexos è ſpeculo Solis radios

 dios

* *Eccli. cap. 30.*

dios reſplendeſcere ex Te Tria illa, quæ in Ipſo Belgii fœderati Proceres adorârunt; Sapiens, inquam, in deliberando Conſilium, ſpectatam in agendo Prudentiam, Conſtantiamque in exequendo tam efficacem, ut negotia non tam tractare, quàm mactare ſit viſus. Pergunt igitur, quod jam dixi, Camœnæ meæ eâdem, quam orſæ ſunt, viâ; rectaque ad Te contendunt, hoc eſt, ad Parentem Tuum, qui etiamnum in Te vivit ac floret. Veniunt autem non ut Patroni exorent præſidium, aut Mecœnatis Largitiones; hoc enim ne audeant, Frontillo perterret, regeſturus in illas haud dubiè, quod ipſæ in eundem, Verſibus Labieno inſcriptis, Libri Tertii epigrammate poſt centeſimum vigeſimo ſexto luſerunt:

Libris, quos ſcripſit, quærit Frontillo Patronum;
Fruſtra: ſi Libri ſint, Labiene, boni.
Quippe bonus liber eſt is, qui ſibi ſufficit ipſe,
Patronusq́ ſuus, Præſidiumq́ ſuum eſt.
Quodſi non bonus eſt, quamvis ſint mille Patroni,
In tot Patronis nemo Patronus erit.
Hinc meritò dubites, utrum Frontillo requirat
Patronum Libris, an potiùs Loculis.

His, inquam, Verſibus tam mordaci Sale perfrictis abſterrentur, quidquam eorum, quæ diximus, exambire; Teque Comes Illuſtriſſime his ſolùm nominibus conveniunt, ut in Te Excellentiſſimum Parentem, Teque in Illo, affectu, quo poſſunt, ſubmiſſiſſimo devenerentur; Tum verò ut aliquam eluant æris maximi particulam, quod apud Te contraxerunt, quando in

 Bel-

Belgio & Auſtriâ eâ me humanitate, charitateque complexus es, ut profiteri facile, redhibere autem etiam in parte difficillimum ſit; ac denique ut ex Illuſtriſſimi Nominis Tui ſplendore vultu ſe auguſtiore Publico oſtendentes aliquam induant immortalitatem. Scio equidem, quas Valerio Martiali grates ſe debere Plinius affirmet, perſuaſus, uno quodam epigrammate datam ſibi ab argutiſſimo Poëtâ æternitatem; tam ambitioſæ tamen Muſæ noſtræ non ſunt, ut jactare de ſe ejusmodi queant. A Te potiùs ac per Te ipſæ perennare cupiunt, vitamque ſibi non deſituram pollicentur. Quin igitur Illuſtriſſime Comes, animum Tuum rerum maximarum capacem ad hæc etiam minuta, hosque illarum

cona-

conatus, ac ſtudium colendi Nominis Tui gratioſè demitte; Munuſculumq́; hoc cape, modicum quidem ac leve, ſed quod pondus accipit ab animo meo, affectuq́ue, qui non niſi ab æſtimatione Tui, Dotumq́ue ac Virtutum tuarum admiratione ſyncerè proficiſcitur. Ita Te Deus ſervet Auguſtiſſimo Imperatori, Sereniſſimo Regi, Reipublicæ, Mihi. Ratisbonæ, 6. Junii, 1696.

Erudito Lectori Salutem!

I.

P*Aucis affabimur te, Lector erudite, & primò quidem*, uſos nos ſæpius eſſe per hos Epigram̃atum Libros charactere diverſo, *juvandis Tyronibus: ut hâc Notâ, ſi qua carmini ſit argutia, faciliùs diſpiciant. Tyronibus inquam: Piaculum namq; plus quàm grande ſit, eſſe nos de perſpicacitate tuâ tam ambitiosè ſolicitos, aut inIngenii tuiDivinitatem ſceleſtos.*

II. In eorundem gratiam indulſiſſe nos aliquando etiam minutiis. *In rem te Papilus ducet Venator, Corbulo miles, voces cumprimis ipſæ, in quibus luſitare nonnunquam libuit, ac cum ſyllabis rixari. Ejusmodi tu epigramma cùm legeris, exclamabis forſitan: Tenue! leviusculum! Ita eſt. Sed experimento ſentimus, tenuiſſimis etiam quandoq; Beſtiolis ſuos ineſſe aculeos. Et niſi vehementer ego me fallo, habet hæc pars Poëſeos ſuas quaſi ætates; neq;*

ſolùm

ſolùm Juventutis adulta Venuſtas, aut Virorum matura Gravitas ſuum habent decórem, ſed & ſuam Pueritia gratiam; atq; innocens ſæpe Puſionum luſus amabiles nobis delicias facit. Inveniat ſanè Tyrunculus noſter in his aliquid libellis uti minutum, ita captu imitatuq; haud difficile, & in quo primas experiatur vires, dum ad juſtum robur excreſcant. Haſtis Gigantes pugnent, pugionibus Nani. Quodſi verò tam ſeverè tu triſtis es, nihil ut ejusmodi delectare te queat, oviculas imitare: quibus ſi in viâ, per quam aguntur, pileum objicias, tranſiliunt.

III. Nunquam nos illis ſacramentum dicturos, quibus obtuſum videtur epigramma, languidum, emortuum, niſi vel ludat in ambiguo, vel ingenioſâ quâdam oppoſitione ſe ipſum evertat. *Præclaris namq; non raro ſententiis, quæq; Curiam ſapiunt, aut redolent Stoam, multa præſtantium Poëtarum epigrammata coronantur, quæ licet his mucronibus deſtitutæ, plenæ tamen vivaci Spiritu, ſolidoq; vigore, ſuâ, quâ præditæ ſunt, Majeſtate Lectori extor-*

quent reverentiam, Naturaq́ ipſius commonſtrant teſtimonio, gravioribus plus ponderis ineſſe.

IV. *Cùm genus iſthoc Carminis haud abſimile ſit armatis Apiculis, aut, cùm iraſcitur, diris nonnunquam etiam Crabronibus, imò & Herinaceis aliquando, nec unâ ſolummodò ſpinâ rigidum, parva ſine mendacio Satyra vocetur,* maluiſſe nos fictis ludere Nominibus, vitiaque, non homines ferire; *Alconem illum Cretenſem imitantes, quem cura verſabat hæc unica, ne volatili, quod miſſurus erat, telo implicitus ſerpente Puer, ſed Monſtrum figeretur ſolum, peſteq́ remotâ Natum ipſe ſervaret illæſum. Ita punctiones noſtras ſentit Corbulonis, quem diximus, jactantia; cùm palam gloriaretur, futurum, ut inter Belli Duces aliquando emineret primus; compertumq́ poſtea eſſet, primum omnium deſeruiſſe Stationem, cæteriſq́ ad fugam præſtitiſſe ſe ducem. Ita Huſſonis inconſulta furacitas, ita Teſtyli inſolens Faſtus, Rufi Stoliditas, Olli Laſcivia, alia aliorum Ulcera magno numero tanguntur; ſed, ut di-*

xi

xi, ſub larvâ, & poſt Scenam, ne ex facie noſcantur.

V. Rerum, quas narramus, aliquas ſpectâſſe nos ipſos, multas lectione, multas hauſiſſe auditu. *Si non omnibus fidem præſtas, nihil litigabimus; imò ſi diem dicis, faxo, non comparituros. Et quis tam ſtultè ſapit, ut innoxii Vatis, cui Fabula & Hiſtoria eodem pretio ſunt, ad Veritatis libellam examinet commentum? Si quid feſtivum illigari ſe Numeris patitur, ac veluti ferrum limari in cuſpidem, idoneum epigrammati dabit argumentum; quâ fide, vel authore, atróne an albo, Sutore an Figulo, inſuper ſit Poëtæ.*

Siſamnem Judicem non ex æquo tuliſſe Sententiam, extra dubitationem habemus; iisné in Cauſis, quas Liber Secundus Carmine poſt centeſimum tertio enumerat, non pudet ignorare. Fingere placuit, Hiſtoria cùm tacuit, inſonti mendacio.

VI. Dictionem aptâſſe nos materiæ, ceu corpori indumentum. *Quæ decóra Mopſo veſtis eſt, non eadem ornabit & Regem. Nugari proin videntur, univerſè*

qui præcipiunt, ſtilum epigrammati ſupra mediocrem non deberi. Senſa verbis exæquanda ſunt; & quemadmodum proſpectantem è latebrâ muſculum Statiano deſcribere tumore inſaniam vocamus, ita pars Sapientiæ eſt, ſtili temperamentum ex Rerum petere momentis. Phillidem Tibia canat, Hectorem Tuba; & ut Imagini Regis vitam aſpergas, non aliis pingi coloribus velit, quàm ſuis.

VII. Epigrammata reliquiſſe nos immutata, quantumvis res, & quæ rem circumſtant, aliter ſe nunc habeant, quàm tunc, cùm carmen ſcriberemus. *Hinc tanquam vivos etiamnum alloquimur, quos inevitabile fatum pridem mortuis adjunxit; Hinc quaſi parvulos adhuc ſalutamus, quos ætas dudum exemit pueritiæ; Hinc ceu præſagi Vates futura canimus, quæ jam olim præterita locum porrò in terris nullum habent, vix aliquem in memoriâ; aliaq́ ejusmodi, quæ recenſere hoc loco faſtidium foret, eliminare autem omnino haud modicum Libri decrementum.*

His affari te placuit: quibus porrò nil ad-

addimus, quàm, mentem nobis nunquam fuiſſe, quidquam vulgandi typis; tametſi vim amicam crebriùs admoverent ii, qui nos amant.

Ariſtarchos, inquis, formidâſti, Theoneſq́ue, ac Zoilos: Neutiquam ſanè. Imò hi ipſi Troſſuli ſæpe jocandi nobis argumentum ſuppeditant; nec quiſquam eſt, quem toties ludum facimus. Quis enim hanc ſcabiem non rideat? aut certè ſi quemquam morari debet, nec Catulli, nec Tibulli, neq́ue ipſius adeò Martialis argutiis Lucem hanc publicam licuiſſet aſpicere. Quoties enim & ipſis dens figitur, morſumq́ue perſentiunt? Tibullum Ovidius cultum vocat, Lipſius Scotuſq́ue ſine exceptione elegantem, Scaliger durum in epigrammatis & languidum & inſuavem. *Catullus Gellio elgantiſſimus Poëtarum eſt; Rhodigino calculis omnium doctus; Petro Victorio nihil ingenioſius, eruditius, jucundius; Martiali verò etiam ſuopte ſibi judicio anteponendus, cùm dicit:*

Nec multos mihi præferas Poëtas,
Uno ſed tibi ſim minor Catullo.

Et

Et nihilo tamen ſecius Hypercriticus ille Catullo, *inquit*, docti nomen quare ſit ab antiquis attributum, neque apud alios comperi, neque dum in mentem venit mihi. Nihil enim non vulgare eſt in ejus libris &c.

Ipſe porrò Martialis, Superi boni, quàm vapulat! Plinio quidem Secundo ingenioſus eſt, acutus, acer; Joviano Pontano artificioſiſſimus epigrammatum Scriptor; Turnebo lepidiſſimus; Jano Guilielmo elegans Poëta, & à quo feſtivitatis & eruditi lepôris multum ſit haurire. Quid verò Mureto? quid Gyraldo? quid Lipſio? aliis? Ille ſcurram de Trivio *nominat; alter*, non omnia ejus, *inquit*, epigrammata, nec plurima quidem video doctis placere. *Cumq; ſubdidiſſet*, digna lectu ſi ſeligerentur, libellum non herclè maximum confectura; reliqua autem ſe ſcombris & ſiluris involucra relicturum, *acrem plus æquo cenſuram Maſenius appellat. Quod ut manifeſtum faciat, pollicetur, ſe* pleraque *à Martiali argutè dicta per apertos à ſe fontes digeſturum. Digeſſit, & ex*

mille

mille quingentis octo & decem epigrammatis (tot enim quatuordecim omnino libris complexus eſt Martialis) plura, quàm quindecim ſupra centum non enumerat; ut mirum ſit, Gyraldi ab eo cenſuram notari.

Lipſius verò quamvis epigrammata illa affirmet, neq; in Trivio, nec in Triclinio nata; nihil tamen, *inquit*, ad Catullum Martialis. *Si nihil Martialis ad Catullum, in Catulli autem Libris, Scaligeri ſenſu, nihil non vulgare eſt, quis tandem erit Martialis? Ita nempe ludunt, & abludunt hominum Judicia, dum unusquisq; ſuo ſenſui patronus eſt. Juvat interim exclamare:* Si in viridi hæc ligno faciunt, in arido quid fiet? *Si, inquam, in Latinæ Poëſeos Conditores atq; parentes tam ferociter incurrunt, quid ſperent nepotes? Verùm, ut jam diximus, inſuper iſthæc habenda ſunt; ac ſæpe ejusmodi ſeu criſes ſeu rivalitates explodendæ valido contemptu. Nobis certè nihil hucusque moram injecit, quàm quòd non ſolemus* Noſtras eſſe aliquid putare nugas. *Sed acceſſit demum autoritas Viri,*

ri, cujus etiam nutus meritò nobis ſupra imperium ſit, nonnullo noſtro compendio: Meruimus namq́;, Lector erudite, ſi ſpes tuas implevimus, Laudem; ſi fefellimus, Veniam. Vale.

EPI-

EPIGRAMMATUM LIBER PRIMUS.

BIBLIOTECA NAZ. ... VITTORIO EMANUELE

I.

Ad Illuſtriſſimum Excellentiſſimumq́; Dominum, Dominum AMEDEUM, Comitem Windiſchgrætzium, &c. &c. Sac. Cæſ. Majeſt. Conſiliarium intimum, Camerarium, & S. R. I. Procancellarium.

DUm Comes Imperii menſuram Nominis exples,
Communisq́; Boni rem ſtudioſus agis,
Audet tam ſacros interpellare labores,
Quem coram cernis, parvulus iſte Liber,
Votorum cui Sum̃a, legi. Nimis improba ſi ſint
Vota, ſat aſpectus denique ſolus erit.
Non illi mens eſt tua per præconia ferri;
Qui ſciat, hoc alios præripuiſſe ſibi.
Cæſaris Orator quamcunq; ingreſſus es Aulam,
Facta eſt in laudes Aula diſerta tuas.
Legatum coluit Gallus, coluitque Britannus,
Rex admirator factus uterque Tui.
Quid referam Suedum, quid quem dat Dania Regem?
Quidve Electores, Teutoniæque Duces?

Quid plenum Imperii, Boiâ ſpectante, Senatum?
Cui Tu Cæſareo Nomine Præſes eras.
Si tamen hos inter noſtro quid dicere Libro
Fas erit, ingenuo ſic volet ore loqui:
Annos ſi numeres, & vitæ tempora, Vitam
Cæſaris egiſti, vix aliquando tuam,
Imò tuam: nam res animo tractare fideli
Cæſareas, auſim dicere, Vita tua eſt.

II.

Ad Ejusdem Excellentiſſimi Domini Filium Illuſtriſſimum, ERNESTUM FRIDERICUM, cùm ex quinquennali rediiſſet peregrinatione.

Flos Juvenum! ſcitum pectus cui finxit Apollo,
Primaque pars vitæ gnaviter acta fuit,
Et procul à nugis. Studiis exercita mens eſt,
Corpus equo, Saltu pes, Gladioq; manus.
Utque aliis ſapiunt Cereris Bacchiq; liquores,
Sic Aganippæus Caſtaliusque Tibi.
Fontibus ex iſtis pleno Te largiter hauſtu
Proluit Aonidum, Turba novena, Chorus.
Succeſſit teneris Juris Prudentia Muſis,
Hæc in deliciis, hæc in amore fuit.
Et quanquam placuit peregrinas viſere Gentes,
Mens tamen & Virtus conſtitit usque ſibi.
Nec niſi Germanum pectus geris; attamen ore
Gallus es, Oenotrius, Teuto, Latinus, Iber.
Hæc *innata* Tibi peperit *Solertia*; *Tanti*
Non aliter poteras Filius eſſe *Patris*!

III.

III.

Philomela cum Lyricine decertans emoritur.

Dum nervos Lyricen ſcitè ferit, audio: quosq;
 Ille facit digitis, gutture reddo ſonos.
Multa diù variat, vario quoque multa diuque;
 Et ſupra vires ludo ſuperba meas.
Reſpicit ergo ſtupens: & palmam, ait, improba, palmam
 Tu mihi concedes, aut ego rumpo Lyram.
Ultima mox tentat; tento mox ultima; dumq;
 Omnes tendo fibras, ut canerem: *cecini!*

IV.

De Phileno.

Nuper erat paſtor, ſed nunc eſt caupo Philenus;
 Nuper paſcebat, ſed modò tondet oves.

V.

*Codrus Æditu*us*, & Ludimagiſter.*

Sive ſit in Turri, ſeu ſit cum conjuge durâ;
 Sive ſit in Ludo, pulſat ubique Codrus.

VI.

De Soſibianâ Carini Generoſiſſimi Ducis Conjuge fortiſſimâ.

Soſibiana ſuum cùm vidit ab hoſte Carinum
 Duci, vindictâ præcipitante ruit;

Atq;

Atq; ait, huc miles celer advola,& arma capeſſe;
Ac libertati, me duce, redde Ducem.
Depoſuitque togam, veſtes induta Mariti;
Et mentita fuit Soſibiana Virum.
Jamq; ſedet ſublimis equo,& graſſatur in hoſtes,
Fœmineâq; cadit victima multa manu.
Ac tandem recipit fugitivo ex hoſte Carinum.
Non mentita fuit Soſibiana Virum.

VII.

S. Lupus baculo terram feriens fontem elicit, Joſephus Anchieta vinum è Cœlo precibus impetrat.

Joſephus *Verbis* demulcet *lenibus* Aſtra;
Mox Coum fundunt Aſtra rogata merum.
Tellus *icta* Lupo dedit undas. *Lenibus* ô quàm
Res meliùs *verbis*, quàm *baculo* geritur!

VIII.

De Bennone.

Semper Benno ſapit; quid poſſit ſtultius eſſe?

IX.

Puella ruſticana in cæmeterii hypogeo mortuorum oſſibus pleno Virginitatem tuetur.

Cùm Mars in Boiam ferro ſæviret & igne,
Jungeret & Marti ſe Cytherea ſuo.

Virgo,

Virgo, pudicitiæ metuens, ſe condidit illo,
Quò ſolet inferri plurima Calva, loco.
Et latuit ſecura ſui; namque oſſa tot inter
Qui vellet carnem quærere, nullus erat.

X.

Ad Mammilianum, Adoleſcentulum Nobiliſſimum, Cùm ad Literarum Studia mitteretur.

Jam nunc, cũ puer es, quis ſis aliquando futurus,
Vatidico poſſis ipſemet ore loqui.
Fruſtra Autumnales ſperabis ab arbore fructus,
Tempore Vernali quæ ſine flore fuit.
Florem ſi primæ peſſum ſinis ire Juventæ,
Ne dubita, multum jam periiſſe Viri.
Ergo, dum puer es, puero ſapienter in ipſo
Serva, ne pereat, Mammiliane Virum.

XI.

Ad R. P. Jacobum Balde, S. J. de ejuſdem elegantiſſimis Lyricorum Libris.

Luſiſti Jacobe Lyrâ, nec dulciùs unquam
Phœbeum digitis impulit ullus ebur.
Quiquis hic eſt (regeres cùm fila ſonantia) Flaccum
E tumulo revocat, dixit Apollo, meum.
Riſi, quiq; Lyrâ potis eſt ſic ludere, dixi,
E tumulo Flaccum non revocat; ſepelit.

XII.

XII.

Carolus Rex inter graviſſima vitia, Pſeudopoliticorum more Libellum precum aureis Literis ſibi conſcribi jubet. Baronius ad A. 870. n. 33.

Carole Rex, tuus eſt liber Aurũ, oratio Plumbũ;
Quis neget ergo tuas pondus habere preces?

XIII.

Choreæ laſcivæ.

Choreas agebant cum puellis Ruſtici,
Proh! quàm protervas! impudicas! improbas!
Quas ipſa Paphia damnet, & Paphiæ Puer.
Has cùm videret fortè præteriens Hylas,
Nihil moratus cæteros, oculos ſuos
Lyricine in uno fixit; artifices quaſi
Digitos ſtuperet (plumbeos aliàs, rudes,
Et quos Apollo rexit haud dexter ſatis.)
Modulosque ſcitos, atque Threicios ſonos.
Cauſam rogatus: Orpheum, inquit, Orpheum hunc
Nondum ſtupetis? Beſtias cantu trahit.

XIV.

De Gelliâ. Ad Ponticum.

Gellia mentis inops, ſeſe conjecerat altam
In caveam, Libycus quâ Leo clauſus erat.
Non tamen objectam Leo dentibus attigit eſcã;
Pontice vis cauſam noſcere? *Non ſapuit.*

XV.

XV.

Ad Aulum.

Cùm invaletudine tentaretur.

Non ſemper morbo cedendū eſt: nitere contra,
Gravemque, quantùm viribus totis potes,
Hoſtem propulſa. Fugiet, ſi fortiter audes
Ægrotus eſſe nolle, teque ipſe excitas.
Mitte igitur triſti lentus decumbere lecto;
Certusque morbi victor, & victor Tui,
Id, quod te non poſſe putas, te poſſe putato.
Plus ſæpe, quàm poſſimus, Aule poſſumus.

XVI.

Cinna Epigrammatographus argutus, ſed non perinde caſtus.

Plenum nequitiis miſit mihi Cinna Libellum,
Judiciumq; meum poſcit; dabo: fœtet acutè.

XVII.

De Paulâ.

Nigróne, an albo, an pallido ſiet vultu?
Gallam rogavit Paula, cupida laudari:
Nigriore, dixit Galla, quàm malus dæmon.
Riſit Sabellus audiens; &, *obſcurum*
Hoc *explicare*, dixit, eſt *per obſcurum.*

XVIII.

In Ligurinum Euclionem.

Ad cænam heſternam Paulū, Ligurine, vocâſti;
Miraris, quòd non venerit? eſuriit.

XIX.

Cajus Licinius Stolo, primus ex plebe Conſul ſuâ ipſius Lege punitur. Sext. Aur. Vict. lib. de Viris Illuſt.

Poſſedit quingentà ſatæ Stolo jugera terræ,
Mox legem ſanxit: ne quis de plebe deinceps
Jugera poſſideat, plus, quàm quingenta; ſed ipſe
In Legem primus peccat, pœnasq; dat. Acta
Sunt hæc, quando habuit pro Conſule Roma
Stolonem.

XX.

De Mario.

Ut ſe Lectori Marius probet eſſe pudicum,
Præmiſit Libro talia metra ſuo:
Quæris num caſtus ſim, Lector amice, Poëta?
An jactet Cyprias noſtra Thalia faces?
Accipe rem: Nullos canit hìc Feſcennia verſus,
Nec prætextatos fœda libido jocos.
Lesbia nulla ſonat, neq; Cynthia; deniq; noſtro
Nulla Venus Libro ineſt. Nil pote ſimpliciùs.

XXI.

Ad Ponticum.

Ambire votis omnibus
Boni Poëtæ quod velint,
Noſtrum Libellum plurimus,
Ceu muſca, Momus obſidet,
Momoque ſuppar Zoilus,

Nec

Nec gratularis Pontice?
At nunc licebit & mihi
Linguam veneno tingere,
Fiamq; Momus Zoili,
Momique fiam Zoilus.
Quid mentior? dic Pontice,
Oculo ſagaci Zoilum,
Momumque ſi conſideres,
Dic, invideri quid queat?
Poſſumne Momi Zoilus,
Aut eſſe Momus Zoili?

XXII.

Ad Momum.

Quòd, quæ compoſui ludens, epigrammata doctus
Admiretur Otho, dicis te, Mome, *ſtupere.*
Non exſpectâſſent, fateor, mea carmina Mome
Admiratorem tantum, tantumque *ſtuporem.*

XXIII.

Ad Zoilum.

Zoile magne Tibi mitto mea carmina; fac Tu,
Ne rodat Momus dentibus illa ſuis.
Libera ſic grandi præſtabis ab hoſte; ſuperq;
Unicus, oſſa, canis, qui mea rodat, erit.

XXIV.

Ad Aulum Senatorem.

Curia ſupremi cùm te vocat, Aule, Senatûs,
Et Rex conſiliis mandat adeſſe ſuis,

Sint procul affectus; juſtamq; Aſtræa bilancem,
Rerum cùm libras pondera, ſola regat.
Sic demum profer, quæ ſtet Sententia menti,
Et dic, quid Ratio, Juraque, Lexque ſinant.
Sed cave, quæ loqueris, ne certa oracula credas;
Nulli etenim Tripodem ceſſit Apollo ſuum.
Hinc ſi quid ſentis, non obfirmatus inhære;
Laus eſt, judicium ſpernere poſſe ſuum.
Sit tibi ſit ſemper Sapientia ſobria; namque
Is nihil, Aule, ſapit, qui nimis, Aule, ſapit.

XXV.

De Azone.

Dixerat Hermophilax: torvo quid lumine frontem
Contrahis? an fœnum in cornibus, Azo, geris?
Nec gero, reſpondit, fœnum, nec cornua. Riſit
Occultè conjux, atque ait: imò geris.

XXVI.

Ad Paulum.

Noſtra ſoporiferum quid habent Epigrammata Paule;
Incipiunt vix namque legi, mox audio *ronchos*.

XXVII.

In Sabellum Litigatorem.

Tuus Sabelle quando *natalis* fuit,
Tunc omnibus Sabelle *nata lis* fuit.

XXVIII.

XXVIII.

De Melampo uxori obnoxio.

Pauper Melampus divitem, ſuperbamque,
Ac turbulentam duxit, & vafram, quæque
Centum fatiget Socrates. Dies totos
Onerat maritum; nec rogat, *jubet*. Quodque
Mirêre; Dominæ paret ille *mandanti*,
Æquatque factis *juſſa*, nec jugum ſentit;
Satisque ſtulto eſt, quòd opulenta ſit conjux,
Connubiumque dulce credit, & fauſtum,
Nobileque; ſic eſt: duxit *Imperatricem*.

XXIX.

In Sacrilegum Apoſtatam.

Deſertor toties Fideique, Deique, Sacrique
Ordinis, indigno ſic canit ore Lycus:
Bis Corvus, bis Pica fui, ter Fune ligatus.
Stulte, ſemel tantùm fune ligandus eras!

XXX.

De Gargiliano, tempore graſſantis peſtilentiæ.

Ægrotat Neſtor locuples; nec reſtat, amicam
Qui det, quàm ſolus Gargilianus, opem.
Hic plùs quã blandæ defunctus munere matris,
Quod vix præſtarent quattuor, unus agit.
Componit thalamos, & fercula condit; & ægro,
Quos coxit, miſerans ingerit ipſe cibos.

Aſſiduusque adſtat, conſolaturque gementem,
Et miſcet lachrymas non ſemel ipſe ſuas.
Vixque capit ſomnū, ſed noctes pervigil omnes
Excubat. O quàm ſe Gargilianus amat!

XXXI.

Epitaphium Diadumeni, Archiatri præcellentiſſimi.

Conditur hoc tumulo medicâ tam nobilis arte,
Ut, niſi mors cunctis, ceu pœna, ſtatuta fuiſſet,
Mundum feciſſet Diadumenus immortalem.

XXXII.

Cùm publica pro impetrandis pluviis ſupplicatio fieret.

Nil orat, cunctis orantibus, unica Phillis,
Cur? tempeſtates ipſa ciere poteſt.

XXXIII.

Titus Imperator, Delicium Mundi dictus.

Delicium Mundi eſt; *credat Judæus Apella!*

XXXIV.

De Momo.

Omnia credebam carpturum epigrammata Momum;
Aſt aliter ſentit, certè ſentire videtur.
Nuper enim multis dixit præſentibus, *Unum*
Toto hoc *Errorem* me commiſiſſe Libello.

XXXV.

XXXV.

Joannes Comes de Werth, poſt multas glorioſiſſimas Victorias tandem Privatus moritur, non ſine ſuſpicione Veneni.

Qui medios toties Cuneos perrupit, & enſes,
Et Palmam fuſis ex hoſtibus abſtulit; Ille
Incolumis, Famæque Suæ, Belloque ſuperſtes
Nunquam non riſit Mortem, Mortisq; minaces
Cum telis pharetras, & vulnera; quodque ſtupendum eſt,
Quem Mors non hauſit, Mortem ipſe hauſiſſe putatur.

XXXVI.

S. Porphyrius, ex Mimo Martyr.

Sive Sophocleo placuit grandire Cothurno,
Seu Socco Cives exhilarare levi,
Nullus Porphyrio par Roſcius. Ille Theatri
Gloria Romani, deliciumque fuit.
Egit Chriſticolam: prô quàm ſtetit ante Tyrannum!
Jures, pro Domino velle perire ſuo.
Prætor erat: magnum vicit gravitate Catonem;
Lictor erat: Faſces tam bene nemo tulit.
Verùm Perſonas inter, quas egerat, omnes,
Egit Porphyrius nil meliùs, quàm Animam.

XXXVII.

Ad Hernicum.

Cùm Author hypogæum, mortuorum oſſibus plenum, in Cœmeterio ſpectaret.

Socraticis nihil eſt Libris opus, Hernice; Scena hæc,
Quæque jacere vides, quæque tacere putas,
Virtutem nos oſſa docent, clamantque ſilendo,
Et, quàm poſſimus dicere, plura monent:
Quid ſint divitiæ, quid Mundi pompa, quid omnis
Gloria, quid Famæ prodigioſa ſitis,
Quid Trabeæ, Faſces, quid Purpura, Sceptra, Coronæ,
Quidq; Ego, quid Tu ſis, quidque ſit omnis Homo.
Crede mihi, hæ Calvæ nobis ſunt, Hernice, magni
Doctores, quamvis nil habeant cerebri.

XXXVIII.

Ad Joannem Biſſelium, S. J.

De Medullâ, quam edidit, hiſtoricâ Noſtra ætatis.

Hanc qui conſcripſit, Muſâ dictante, Medullam,
Inter Scriptores ipſe Medulla fuit.

XXXIX.

XXXIX.

Archiſtratus, Poëta, tam macilentus fuit, ut, teſte Æliano, ad lancem appenſus, inventus ſit habere pondus non niſi unius oboli.

Cui nimiùm levis eſt Archiſtratus, atq; videtur
Fabula prudentem non meritura fidem;
Fruſtra ſe torquet. Nam ſunt hodieque Poëtæ,
Nec tamen unius pondus habent oboli.

XL.

Chriſtus ducitur ad Annam Judicem præpoſterum, ac perverſum Sannionem.

Omnia *retrorſum* Solymis vertuntur: habetq;,
Quando præeſt ANNAS, nil niſi SANNA locum.

XLI.

In Paulum.

Bibliotheca vetus, fumoq; *nigerrima* Paulo eſt,
Et ſqualet turpi *pulverulenta* Situ.
Fari ſi poſſent, tam tetro carcere clauſi
Clamarent Libri: *Pulvis & Umbra* ſumus.

XLII.

De Alianâ.

Ad Ponticum.

Ebria per cunctas noctu bacchata popinas
Evomuit tantum, quantum Aliana bibit.

Inſuper & rigido ſuccincta viriliter enſe
Ibat, & in medio vociferata foro eſt,
Hoſtemque ingeminans, huc huc, clamabat, adeſto,
Cui prurit (præſens eſt medicina) cutis.
Miſcuit & Juvenum ſe turmis; viſa, choraulas
Inter, laſcivos fœdè agitare choros.
Cætera ne quæras: tædet memorare, pigetque;
Dicere ſique velim, non finit illa pudor.
Quæ fuit hæc? inquis: quâ conditione? Marita?
An Vidua? an Virgo? Pontice, Virgo *fuit*.

XLIII.

Ad Firmicum.

Firmice, quàm pulchrum eſt, ſi paupertate premente
Divitias profert Mens opulenta ſuas!
Mens, inquã, quæ plena Deo nihil expetit ultra,
Quasque ſolent alii quærere, ridet opes.
Hanc Mundi Dominam tu dices: omnia namq;
Poſſidet, & quidquid non habet, illud habet.*

* *Nihil habentes, & omnia poſſidentes. 2. Cor. 6.*

XLIV.

De Agro Tongiliani.

Tres jam Septembres, & tres conſevit Apriles
Fruge ſuum variâ Tongilianus agrum.
Spem tamen ipſius *mendax* ager usque fefellit;
Nam *Domini mores* induit ille *ſui.*

XLV.

XLV.

De Taurello, Anabaptiſtarum Curione.

Concepta quàm mendacia
Taurellus in vulgus palam
Stans è cathedrâ proferat,
Priùs domi declamitat,
Geſtusque fingit corporis,
Ipſusque ſuus eſt arbiter,
Solique diſputat ſibi.
Habere poſſet ſtultius
Taurellus auditorium?

XLVI.

B. Valeria, conjux S. Vitalis Mart. gaudet dici Uxor Martyris.

Martyris Uxorem ſe Diva Valeria dici,
Conjugii lucrum credidit eſſe ſui.
Hæc dum narrantur, Viduus Libo ridet, & inquit:
Et mea (prô ſenſi!) Martyris uxor erat.

XLVII.

Pellio.

Non ego naturas ſcrutor, fraudesq; Ferarum,
Quasq; ſibi technas, inſidiasq; ſtruant.
Sed licet haud ſcruter, multum, mihi credite, novi;
Et ſcio, quid tales intus & *in cute* ſint.

XLVIII.

De Aulo hydropico.

Omnes conſuluit Medicos miſerabilis Aulus,
Totus ſuffusâ turgidus Aulus aquâ.
Conclamant omnes, Morti ſe præparet; unus
Indubiam vitæ ſpem Mariana facit.
Verùm conditio nimiùm gravis additur, & cui
Ipſe velis certam præpoſuiſſe necem.
Cynthia bis ſenos donec compleverit orbes,
Triſtè loquens Medicus, nil, ait, Aule bibes.
Horret ad hanc vocem (quis enim non horreat?) Aulus;
Et ſtupet, & tremit, & neſcius ipſe ſui eſt.
Et dubitat, malítne mori; malítne ſitire;
Utraq; pars multum, quod lacrymetur, habet.
Sed quid agat? vitæ tandem ſubſcribit amore;
Jamque ſitit medias Tantalus inter aquas.

XLIX.

Ad Paulam.

Omnes, Paula, domi veſtræ vivuntq; valentq;;
Excipitur Virtus: Hæc in agone jacet.

L.

De Porciâ.

E cathedrâ nuper dicentem Porcia Myſtam
Audivit: Si vis nubere, nube pari.
Conſilium placuit, quod mente recondidit altâ,
Legitimeque novo Porcia juncta Viro eſt.

Hic

Hic illi par eſt, & par eſt illa marito
Formâ, Divitiis, Stemmate, Nequitiis.

LI.

Ad Calliſtratum.

Æquus num Prætor, num ſit fortaſſis iniquus,
Meque odio, vel me dignum arbitretur amore,
Curarum poſtrema mihi eſt Calliſtrate; quippe
Nil timeo, niſi me. Quid enim ira aliena nocebit?
An mihi me rapiet? ſanctóve abducet Honeſto?
Solus ego hoc poſſum: hinc caveo, ſemperque cavebo,
Hoſtis ne fiam meus. Is palmam abſtulit omnẽ,
Eſſe Sibi verus potuit qui ſemper amicus.

LII.

In Poſthumianum.

Sera ut Poſteritas nôrit, quòd vixeris olim,
Conſcribis Vitam, Poſthumiane, tuam.
Deſine, nil opus eſt; nam quivis deniq; porcus
Hiſtoria eſt Vitæ, Poſthumiane, tuæ.

LIII.

De Momo.

Si nullum Libro ſit acumen, cur ita pungunt,
Inque oculis Spinæ ſunt noſtra epigrammata Momo?

LIV.

Paſtoris, Equitis Romani, Conſtantia in diſſimulandâ Cai Cæſaris Caligulæ crudelitate. Sen. l. 2. de Irâ. c. 33.

Quâ Cajus Natum Paſtoris luce peremit,
Convivam cænæ juſſit adeſſe ſuæ.
Juſſus adeſt, nec ſolus adeſt, ſed Regia centum,
Qui ſimul accumbunt, perſtrepit Aula Viris.
Pugnatur cyathis; nec Laletana bibuntur,
Condita ſed vetulis Cæcuba vina cadis.
Stipatámque gravant genialia fercula Quadram,
Et tanto in luctu nil niſi menſa gemit.
Provocat ipſe Senem Cæſar, paterásque propinat,
Quantis nec Bitias ebrius eſſe velit.
Cuſtodem interea jubet obſervare, queátne
In toto quidquam Patre notare Patris?
Anne propinatos calices, ungentaque ſumat?
Miſſáque Cæſareâ florea Serta manu?
Sumit, diſſimulátque iras. Sed & omnia bellè
Ceu ſibi natalis Lux ageretur agit.
Tollit feſtivos, invito ſplene, cachinnos,
Et cogit mediâ fronte natare jocos.
Induit & Cajum totus; potuitque videri
Plus quàm crudeles ipſe probare dapes.
Nî faciat, Natus cadat alter victima; cujus
Ut quondam Genitor, ſic modò Paſtor erat.

LV.

LV.

Incendium noctu exortum Chriſtianũ interimit, Judæo ejusdem domûs incolâ indemni relicto.

Chriſticolam *perdit, ſervat* Vulcanus Apellam.

LVI.

S. Dorothea, Virgo & Martyr. Baron.

Ducere Dorotheam geſtit Procus: abnuit illa;
Ergo mandatum eſt Lictori, ut duceret illam.

LVII.

Martyrium S. Bartholomæi.

Eſtote prudentes ſicut Serpentes, & ſimplices ſicut Columbæ. Matth. cap. 10.

Bartholomæus erat Simplex, inſtarque Columbæ,
Dedocuit falſos cùm ſine fraude Deos.
Verùm cùm propriã poſuit de corpore pellem,
Prudens ut Serpens Bartholomæus erat.

LVIII.

Titius, ob eximia Merita, Nobilitate à Cæſare donatus.

Ad Nævolum degenerem.

Nævole, quòd claros nequeam oſtentare Parentes,
Stetque mihi Primo Nobilitatis honos,

Degener

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Degener inſultas? ceſſa, ô! numerare tuorum
Fumoſas Statuas, oraque nigra Patrum.
Martia me Virtus, & geſti gloria Belli
Extulit, & vulgô me ſuper ire jubet.
Ipſe viam trivi primus; veſtigia multa,
Per quæ Poſteritas noſtra ſequatur, habet.
Ipſe facem claram, nullo anteferente, præivi;
Et pandi, è tenebris queis licet ire, fores.
Tù propriæ nil lucis habes; fumoſior ipſis,
Quas nobis jactas Nævole, Imaginibus.
Multis tu proavis, ego *me* ſum Nobilis *uno*;
Nobilitas *minima* eſt *maxima* Nobilitas.

LIX.

Fur.

Fur ego ſum, corvusque rapax vivo de alieno;
Poſt noſtra Corvus fata vivet de meo.

LX.

Ad Cæcilianum.

Spe vanâ illectus, ſtultâque cupidine laudis,
Vulgâſti miſerum, Cæciliane Librum.
Qui ſic illectus Librum pueriliter edit,
Huic erit *illectus*, Cæciliane, Liber.

LXI.

Virgo, ut Proci inſidias effugeret, in Mincium Amnem præcipitem ſe dedit.

In ponte Mœchus Virginem fortè obviam
Utroque ſtringit brachio, atque vim parat,

Preceſque blandas miſcet, & precibus minas.
Obſiſtit illa manibus & pedibus, pari
Vim vi repellens; certa millies mori,
Nivei pudoris quàm levem maculam pati.
Elapſa tandem manibus irati proci
Præterfluentem in Mincium præceps iit;
Ridensque victrix improbum atque olidum caprum,
Malo *lavari*, dixerat, quàm *pollui.*

LXII.

De Paulo.

Dives erat Paulus, ſed ſordidus Euclio, quique
Tangere corraſas vix fuit auſus opes.
Nunc eget; ardenti nam perdidit omnia bello.
Anténe plus habuit, quã modò Paulus habet?

LXIII.

De Gelliâ.

Cæca ſuos oculos amiſit Gellia; cauſa eſt,
Quòd biberit nimium nocte dieque merum.
Ne ſibi plus noceat, mediam jam Gellia partem
Correxit; nam nunc non niſi *nocte* bibit.

LXIV.

Ad Parthenopæum.

Succenſes Ævo noſtro, vocitaſque malignum;
Per te ſtat, ſaltem pars aliqua ut bona ſit.

Pars

Pars ea nî bona ſit, vel non iraſcere poſthac,
Vel ſuccenſe etiam, Parthenopœe, tibi.

LXV.

De apibus in Corpore Chriſti mellificantibus Heidhuſij, in Bavariâ.

Crux alta ſtabat, pendulum corpus gerens
Magni Tonantis, ſponte quem ſuâ mori
Amor coëgit. Nuper huc Apes novam,
Lares peroſæ priſtinos, coloniam
Duxêre; Signum namque morientis Dei
Intus cavatum, præſtitit profugis locum
Urbem ſtruendi ceream, & lentas domos.
Per vulnus ergo Lateris ingreſſæ, ſacros
Dulci liquore mellis implêrunt favos.
Viſusque vultus ipſe Pendentis fuit
Probare caſta ſtudia mellificæ Tribûs,
Mêque intueri, ſicque ſpectantem alloqui:
Huc, huc adeſte! felle queîs animus natat,
Triſtisque amarum lancinat pectus dolor;
Adeſte! ſtatuam gravibus ærumnis modum.
Spiritus enim meus ſuper mel dulcis, & Hæreditas mea eſt ſuper mel, & favum. Eccli. 24.

LXVI.

Epitaphium militis à Fide ortodoxâ ad Deiſtas apoſtatæ.

Dum ſequor æquorei Melitenſia bella Gradivi,
Tunc nobis Pietas vera, Fidesque fuit.

In

In patriam rediens Pietatem perdo, Fidemque,
Dogma Deiſtarum perfidiamque ſequens.
Sic à Piratis vixi ſecurior; atrox
Sed Pirata * mihi Patria * facta fuit.
* ἀναγραμματικῶς.

LXVII.

Paula vetula Virgo, Sponſa Cœlij Sexti.

Tam fœda es, nullus te ducere, Paula, tot annis
Vt vellet, quàm nunc Cælius, Aulus ai:.
Falleris ô nimiùm! reſpondit Paula: maritus,
Cui deſponſa fui, jam mihi *Sextus* hic eſt.

LXVIII.

Epitaphium Daulidis,

Ter denas pilulas ab Agyrtâ Daulis emebat;
Poſt ſumptum hunc cumulum venit in hunc tumulum.

LXIX.

Theſtylus ex Iro Crœſus.

Theſtylus eſt locuples, ſed turgidus atque ſuperbus,
Quemque tumens faſtu ſpiritus intus agit.
Inſuper & famulis gravis eſt, & durus, & aſper,
Et cui ſervitii nil ſatis eſſe poteſt.
Unde illi hæ criſtæ? cur eſt tam durus & aſper?
Cur eſt tam tumidus denique? pauper erat.

LXX.

LXX.

Duæ Sorores Longobardæ carnes pullorum crudas putrefactaſq; inter ubera geſtantes, gravemq; exhalantes odorem, laſcivientes à ſe Barbaros, ſuſpicione latentis morbi, avertunt. Baron. in annum 600. n. 2.

Ad Nævolum, Scortatorem.

Ut Longobardæ poſſint fœtere Sorores,
Arte opus eſt, caſtis ingeniiſque dolis.
Promptiùs hoc præſtat Lais tua Nævole; fœtet,
Nec tamen ullâ opus eſt arte, nec ingenio.

LXXI.

Animus Liber.

Nil gratis timeo: caveo tamen omnia, quæ Sors
Objectat metuenda; ſagaxque & providus, atq;
Non dubius Vates proſpecto futura, nihilq;
Jam mihi fortuitum eſt, caſusque armatus in omnes,
Fortunæ atroces ictus ſupero ridendo,
Et conor non eſſe miſer; pretioſaque nobis
Eſt lacryma, & nunquam ſine lucro fundimus illam.
Interea nulli non ſum tractabilis, atque
Commodo me multis, ſed tantùm commodo; avarus
Ipſe mei, nulli me dono. Obnoxius eſſe

Scilicet

Scilicet haud didici; famulor, non ſervio, Liber
Et plùsquàm certus noſtri poſſeſſor, & heres.

LXXII.

De Fabianâ.

Ad Tongilianum.

Omnia conſumpſit domibus Fabiana ſtruendis;
Jamque poteſt ædes vix numerare ſuas.
Hinc etſi non ſæpe domi eſt, nihilominùs illam
Plerumque invenies, Tongiliane, domi.

LXXIII.

Roma occaſione leporis fugientis ab Arnolpho Cæſare capta.

Hem, *Lepus ingreditur portas*, hoſtesque ſequuntur.
Sæpe ſolent urbes *hâc ratione* capi.

LXXIV.

Maximianus Imperator S. Lucianum ſolo aſpectu Paganos convertere intelligens, metu converſionis Velamen inter ſe & illum obduci mandat. Manc. de Chr. Pat.

Impie, ne videas Divum, aut videaris ab Illo,
Obduci velum, Maximiane, jubes.
Mox ergo obducunt famuli; nunquamque reductum
Interea eſt, ſed adhuc inter utrumque manet.

LXXV.

Nativitas Chriſti Salvatoris.

Ego Flos campi. Cant. 2.

Quàm mirum Natura vides heteroclita Florem,
Creſcit Brumali Tempore, Vere perit.

LXXVI.

B.V. Maria lact at Jeſum Infantulum.

Dabo Tibi Vbera mea. Cant. c. 5.

Flet Puer; & Genitrix ut flentem ſopiat, Odam
Exorſa blandè cantat, & cunas movet.
Sed nihil Is dulci placatus voce, tenellas
Jugi liquore lacrymans genas rigat.
Excipit ergo ſinu flentem, niveumque propinat
Sollicita fontem lactis ambroſii Parens.
Ille avido oblatam ſitiens capit ore papillam,
Nulliſque porrò lacrymis oculi fluunt.
Riſit ad hæc Joſeph, cùm vidit; &, ô Puer, inquit,
In Sanitatem totius Mundi bibe!

LXXVII.

Infanticidium Herodianum.

Dum ſævit miles, recipitque Infantia ferrum,
Unus præ cunctis Tangiobaſſa furit.
Ille ſiniſtrorſum dextrorſumq; inſtat, & inquit
Sica ferire para, cara perire facis. *

* *Verſus retrogradus ſiniſtrorſum, dextrorſumq; incedens.*

LXXVIII.

Pia Virginis pro tuendâ contra laſcivos milites Caſtitate crudelitas.

Proſcriptura omnem Venerem, Veneriſque Puellum,
Virgo ferox oculos eruit ipſa ſuos.
Sed falſa eſt: nunquam Veneris, Veneriſque Puelli
Plus habuit, quàm cùm lumine capta fuit.

LXXIX.

Ad Haymonem, Præſulem ſpectatiſſimum, Cùm centum triginta Religioſis Antiſtes præficeretur.

Non verbis, loquere exemplo, & Virtute: ſed iſthæc
Plus, ſi nata domi eſt, quàm peregrina, movet.
Sint calamus placidi mores, his ſcribito Leges;
Et quem diſcipuli nocte dieque legant,
Sit tua Vita Liber; nam mortuus, Haymo, character
Non tantum, quantum litera viva docet.
Hæc addit ſtimulum, hæc animos tibi jungit, & aptat;
Hæc facit, ut cunctos mutuus urat amor.
Ipſe olim in tanto medius ſtans agmine dices:
Ingens turba domi eſt, nullaq; turba domi eſt.

LXXX.

LXXX.

Margaritæ Ferdinandi Primi Imperatoris Filiæ cadaver, apertâ ſexennio poſt mortem ſandapilâ, adhuc incorruptum, ad contactum Æmilii Aulici erubuit. In Vitâ ſereniſ. Magd. Hal. 1. p. c. 9.

Æmilii attactu jam mortua Virgo rubeſcit;
Quod facere Æmilius debuit, ipſa facit.

LXXXI.

Maritum decollatum videns mulier exanimis corruit.

Exanimem uxorem ſi quis mirabitur, is non
Perſpectum, quid vir, quidúe ſit Uxor, habet.
Nimirum lictor cùm meſſuit enſe *maritum*,
Uxoris pariter meſſuit enſe *caput*. *

* *1. Cor. 11. Caput mulieris Vir.*

LXXXII.

In Adamum Parentem protoplaſtum.

Ambis eſſe Deus: ſpem ſeps tibi fecit Adame;
Lubrica prô nimiùm *ſpes* & præpoſtera, *ſeps* eſt.

LXXXIII.

Certamen Scholaſticum.

Cælius inſculpſit Muſas Phœbumq; Smaragdo,
Annulus hunc claudit, *digito* gerit Attalus illum,

Qui

Qui vixdum nigras bene compellare Sorores,
Et Latio didicit conjungere verba ſonore;
Doctrinam tamen ipſe ſuam circumſpicit, auſus
Paulum in certamen petulanti voce vocare.
Paruit is. Mox pugna calet; ſonat Aluarus, atq;
Illum teſtantur magnis clamoribus ambo,
Concertantq; diù. dum tandem Cinna rogatus
Judicium, ridens ſic diceret: Attalus uno
Doctior in *digito* eſt, quàm toto corpore Paulus.

LXXXIV.

De Mathone, Sene patibulario.

Jam ſexagenos & tres Matho vixerat annos,
Cùm furti reus ad Furcam damnatur, & atras
In cruce paſturus volucres pendere jubetur.
Scalam ergo aſcendens triſti ſic voce gemebat:
Heu! fore fatalem Medici dixêre (futurus
Eſſet qui quondam mihi *climactericus*) annum.

LXXXV.

S. Barbara à Patre interfecta

Quo mucrone jacet? quo ferro Diva perempta eſt?
Mentitur, quiſquis dicit id eſſe Patris.

LXXXVI.

De Hermone.

Orpheus uxorem Stygiis revocavit ab undis;
Ad Styga, ſi poſſet, mitteret Hermo ſuam.

Et dudum miſiſſet eam , ſed Pluto reſiſtit,
Dicens, tres Furias in Styge ſufficere.

LXXXVII.

Tiberius Nero prægrandibus fuit oculis , & qui etiam in tenebris viderent.
Suet. c. 68.

Peſtis Quiritum , ſanguiniſque Civium
Nero cruentus heluo
Perinde nocte vidit, ac die; nihil
Ut non haberet Beſtiæ.

LXXXVIII.

Sitis.

Sirius æſtivis Canis ignibus uſſerat agros,
Atque pedes fecit Pontilianus iter.
Ergo miſer lento cùm torreretur ab æſtu,
Et longâ arderent arida labra ſiti;
Altùm ſuſpirans! cùm primùm copia vini
Suppetet, ad mortem, dixerat, uſque bibam.
Audiit hoc famulus , verbiſque gementibus inquit:
Ah! ſine me tecum , Pontiliane, mori.

LXXXIX.

Senes Suſannæi.

Dicemus contra te teſtimonium, quòd fuerit tecum Juvenis. *Et infra: Et illum*

quidem

quidem non potuimus comprehendere, quia fortior nobis erat. Dan. 13.

Erratis Vetuli, nec acutùm cernitis: ille,
Qui tam fortis erat, non *Juvenis*, *Puer* eſt.

XC.

Carolus V. à Juridicis deſiderat, modum ut inveniant, citiùs expediendi cauſas forenſes.

Examinentur ut brevi methodo dehinc
Cauſæ forenſes, Carolus
Juris periti excogitent modum, cupit,
Tradantque rem compendio.
Excogitatum eſt nihil adhuc; omnes ſuo
Adhuc ſtudent *compendio.*

XCI.

De Thimbrone.

In Bello occidit ſolus duo millia Thimbron;
Quæris, quis fuerit Thimbron? Medicus Caſtrenſis.

XCII.

In illud Ovidii:

Quidquid tentabam dicere, Verſus erat.

Scilicet, ut famulam, tractâſti, Naſo, Poëſin;
Et verſus * ſervus, Te dominante, fuit.

* ἀναγραμματικῶς.

 XCIII.

XCIII.

De abſolutiſſimâ Aſceſi Jacobi Alvarezii Societatis JESU, Provinciæ Peruanæ Provincialis, quam in ipſo potiſſimùm itinere, cùm aliud tempus non ſuppeteret, conſcripſit, eandemq; tandem Limæ, civitate Regiâ, typis edidit.

Sive fugam Sceleris ſuades, Virtutis amorem
Seu pius inſtillas, atque docendo moves;
Sive animum ſuper Aſtra lévas, Cœlumque precari,
Excelsâque jubes volvere mente Deum.
In liquido eſt, quantum verſet tua pectora Numen,
Et quàm te grandis Spiritus intus agat.
Felici calamo non verba, oracula fundis;
Etſi ſcribendi vix ſuper hora fuit.
Vix ſuper hora fuit: nam Res te publica totum
Adſtrictum curis juſſerat eſſe ſuis.
Sed medias inter curas, quas juſſit habere
Publica Res, Animus conſtitit ipſe ſibi;
Hæcq; eadem aſſiduè pia mens agitavit, Opusq;
Ultima tam terſum denique *Lima* dedit.

XCIV.

In Caſtricianum.

Placaris ſubitò, ſubitoque iraſceris, atque
In te ſunt motus, Caſtriciane, breves;

Idque

Idque tibi laudi ducis. Laus iſta moloſſo
Debetur pariter, Caſtriciane, tuo.

XCV.

De Lino.

Cùm deliria mille, fabulasque
Narravit Sociis Linus trecentas,
Vult credi hiſtorias, & eſſe, dicit
Jurans, omnia veriora veris.
Mentitur, mihi crede, peierarque,
Et fumos Sociis, logosque vendit,
Fallaxque eſt, Line, putidusq;, quisquis,
Solet dicere veriora veris.

XCVI.

Porcius ex Furcâ ſuſpenſus.

Furum qui fuerat cunctorum Porcius Alpha,
Ex Alphâ is factus denique Iota fuit.

XCVII.

De Pamphilo.

Jam nocte ſerâ Pamphilus
Pulſabat Auli januam,
Altâque voce dixerat:
Dormiſne jam? dic Aule mi,
Dic obſecro, *dormiſne* jam?
Quid, inquit Aulus, me petis?
Cui Pamphilus: neceſſitas
Venire cogit; obſecro,
Centum mihi ſeſtertios

Quantocius da mutuos.
Reſpondit Aulus: *dormio.*

XCVIII.

Ad Firmicum.

Contra Vitia pugnandum, juxta illud: Militia eſt Vita hominis ſuper terram. Job. c. 7.

Sic eſt, bellamus: ſed inerti Marte, pigroque;
Et Verum pleno ſi licet ore loqui,
Non gerimus Bellum, trahimus; Vitiisque minamur,
Non profligamus; nec ſatis ira calet,
Sed vecors ſumptis animus lenteſcit in armis,
Vincendique moras injicit ipſe ſibi.
Et quamvis vincamus, habet Victoria ſordes,
Sic, ut jam vix ſit nomine digna ſuo.
Totus fac pugnes; & erit mirabile, ſi non
Tunc etiam victus, cùm ſuperabis, eris.

XCIX.

Martyrium S. Pauli.

Iterum parturio, *donec formetur Chriſtus in vobis. Gal. 4.*

Cùm Sacrum Pauli caput à cervice reſectum eſt,
Lac iit è Cæſo corpore; *Mater* erat.

C.

C.

Zoilus in Furcam actus. *Rad.*

Comment. in Mart.

Quòd univerſos Zoilus deſpexerit,
Nolite id exprobrare, vel vitio dare;
Non ſponte fecit: debuit ſed id miſer
Facere, coactus Judicis Sententiâ.

CI.

De Baucide.

Baucida ſollicitat Staphilus; fugit illa: ſequentem
Sed totas patitur mœchum fugitiva per ædes.
Ad ſuprema domûs ventum eſt ſic culmina; cumq;
Jam locus effugij nusquam ſupereſſet, ab alto
Deſilit in Terram præceps, ſed ſalva reſurgit.
Fors præceps ierat, niſi præceps Baucis iiſſet.

CII.

Ad Clementem.

Laudatiſſimi Cœnobii in Altâ Ripâ Ordinis S. Bernardi Præſulem Religioſiſſimum.

Nomen mite Tibi, & facilem Clementia mentē
Indidit, ac placidè Teque Tuosque regit.
E vultu Pietas, oculisque Modeſtia ſpirat,
Et multum in ſacro pectore Numen ineſt.

Majeſtas totum corpus ſibi vendicat una,
Et decus ex illo non leve Mitra capit.
Nectar ineſt tinctis comi dulcedine verbis,
Qualia *Bernardi* mella fuiſſe putem.
O! ego Te *Talem* ſemper venerabor; eritque
Clara mihi *Vallis*, *Ripa* ſit *Alta* licet.

CIII.

De Rufo, pupillo.

Cum Patre decoxit Mater, moriensq; nec aſſem
Rufo reliquit; luget hic ambos tamen,
Et mœſtus cryptas illorum ſæpe reviſit,
Ploratque *loculos* utriusque cùm videt.

CIV.

De Eodem.

Gaudet ſe noſtro laudatum carmine Rufus;
Ne nimiùm gaude Rufe, Poëta fui.

CV.

Amyntas vinolentus heluo.

Cùm de Gente ſuâ, Patriâque rogatur Amyntas;
Argentinenſem ſe prædicat, atque bicornis
Rheni potorem. Prô, quàm mentitur Amyntas!

CVI.

Ad Sabinam.

Conſueta res eſt fœminis penè omnibus,
Ægrè tacere, blaterare plurimùm.
Hoc tu, Sabina, ceu malam peſtem fuge.

Parùm

Parùm illa dicit, multa quæ dicit nimis;
Nihil imò dicit, quæ tacere non poteſt.

CVII.

De Stiphelo Carnifice, medicinam exercente.

Carnificem & Medicum Stiphelus ſeſe exhibet; an non
Eſſe hoc eſt duplici Carnificem titulo?

CVIII.

Labienus ad Hedylum.

Ibam per Sylvas: mox obvia turba latronum,
Da nummos, aut te confodiemus, ait.
Nil habui: quare multo me vulnere mulctant,
Seque ſtatim celeri proripuêre fugâ.
Cùm vix ſpirantem repeciſſes Hedyle, dixti:
Quid tibi, quid nocuit? *Nil* mihi, *nil* nocuit.

CIX.

Ad Parthenianum.

Judicium græcè proferre juberis, & erras,
Proque *criſi* dicis, Partheniane, *chriſis*.
Mox igitur baculo tua terga Magiſter *inungit*.
Hæc eſt, crede mihi Partheniane, *chriſis*.

CX.

De Ollâ.

Dente caret, mordet tamen Olla proterviter omnes;

Et rodit famam, rodit ut oſſa canis.
Quodque ſolet fieri, ſtudioſè auditur, & aures
Multorum pronas, cùm maledicit, habet.
Hinc totâ circum Urbe vagans palatur, & illam
Haud facilè invenias, Mammiliane, domi.
Cur, inquis, rodit ſic Olla, foriſque vagatur?
Rodere quod poſſit nil habet Olla domi.

CXI.

Ludovicus Craſſus, Francorum Rex, Sacerdoti Euchariſtiam afferenti obviam ire conatus eſt, graviſſimo licet morbo impeditus. Ad Alanum.

Obvius it Myſtæ CRASSUS, malè firmus & æger;
Hunc tu ſi CRASSUM dicis Alane, furis.

CXII.

Jonas Propheta à piſce in litus ejectus.

A facie Domini fugiens hauritur ab undis;
Hauſtus cui nocuit, profuerat vomitus.

CXIII.

Cùm Author non ſine riſu ſpectaret, araneam telas ſuas ad caput dormientis Pamphili ſuſpendentem.

Ecce tuo capiti prætendit aranea caſſes,
Seq; putat multas capturam, Pamphile, muſcas.

CXIV.

CXIV.

Fauſtinæ in Patrem Pietas ingenioſa.

Damnatus Ulmo capitis, in pedicas datus
Perire longâ juſſus eſt fame miſer.
Unum gementi Nata ſolamen fuit;
Huic Patrem adire licuit: at cautum tamen,
Alimenta ne quæ fortè morituro ferat.
Fulſère Soles interim multi; ſtetit
Incolumis Ulmo, vegetus, ac ſalvus tamen.
Suſpecta cœpit ergo cuſtodum fides
Exin haberi, nec levem invidiam tulit.
Fauſtina namque (filiæ hoc nomen fuit)
Comperta nunquam fuerat ullius doli.
Tandem Melampus cæteris ſagacior
Clam eam arbitratus, ubera ut vidit ſua
Porrigere Patri, ac ſugere effœtum Senem,
Succenſus irâ, vixque jam abſtinens manus,
O! fœminarum, dixit, ingenium vafrum;
Sic absque fraude nulla ne pia eſt quidem?

CXV.

Eadem Fauſtina.

Filia quæ fueram charo dulciſſima Patri,
Charo facta Patri denique Mater eram.
Ac velut infantem tenerâ nunc lacto papillâ,
Hæc eſt captivo potus & eſca Seni.
Annis cùm quondã nondum juvenilibus eſſem,
Parvæ blanda mihi baſia ſæpe dedit,

Meque fovens gremio dulcis, mea filia, dixit,
Dulcis es, & *dulcis tu mihi ſemper eris.*
Nunc *cùm lac noſtrum guſtat*, lacrymatur, & inquit:
Quæ Mater Patris es, Filia *Vatis* eras.

CXVI.

De Lina.

Larvata incedit, quia vult formoſa videri:
Nam, niſi larvata eſt, nil niſi larva Lina eſt.

CXVII.

Invidia.

Macies ſtat corpore toto. Ovid. Metamorph.

Obſidet Invidiam macies: vix oſſibus hæret,
Et tamen aſſiduè comedit; ſed quid comedit? Se.

CXVIII.

Ad Fabianum.

Stat tibi, fixumq́; eſt, peregrinas viſere terras;
Obſecro, ne ſimilis ſis, Fabiane, cani,
Qui tibi ſe comitē junget; namq; omnĭa tecum
Is viſet: ſed erit, qui fuit antè, canis.
Non tu ſic. Operæ pretium fac indè reportes;
Multum oculis, animo plus, Fabiane, vide.
Genteſque externæ tibi ſint velut Ennius, at tu
Gentibus externis ſis, Fabiane, Maro.

CXIX.

CXIX.

Ad Ponticum.

De Illuſtriſſimo Domino DIONYSIO Horno, &c.

Nuper cùm Vernis rideret Solibus æther,
Eja accingamur, rusque petamus, ais.
Ivimus, & tepidas ambo captavimus auras,
Quas mulſit blando dulcis Alauda ſono.
Venimus ad noſtrum (nam noſter habebitur) Hornum,
Cujus in ore Sacro multus Apollo ſedet.
Quàm mihi me rapuit! quàm mulſit pectora! quamque
Mulcet adhuc, nec jam me ſinit eſſe meum!
Cùm caneret verſus, Helicon me totus habebat,
Totum me circum Turba Novena ſtetit.
Cùm Bellum, aut placidas Pacis loqueretur olivas,
Villula quæ fuerat, Curia viſa mihi eſt.
Ventum eſt ad menſam, prô! quàm nil ruris habentem,
Regia tam lautas inſtruit Aula dapes.
Cùm bene tu ſcires hæc omnia, meque vocares,
Eia accingamur, rusque petamus, ais.
Hoccine rus ire eſt? Urbem extra invenimus Urbem,
Et quod tu vocitas Rus, ſine Rure fuit.
Aut ſi contendas, nos rure fuiſſe, fatebor
Denique, ſi Rus hoc dicis *Areopagum*.

CXX.

S. Patritius Epiſcopus Arvernenſis.
16. Mart.
S. Patritius Epiſcopus Hybernus.
17. Mart.
S. Patritius Epiſcopus & Martyr.
28. April.
S. Patritius Abbas Nivern.
24. Auguſti. &c. &c.

Continet innumeros Urbs in ſe Cœlica Cives;
Inter tot *cives* ſunt quoque *Patritii.*

CXXI.

Guſtavus Adolphus, Suecorum Rex, ante Lucenſis prælii initium interemptus ab hoſte, quem ingruens tum fortè Nebula texerat.

Cujus conſilium, vultumq; expavit, & arma,
Atque animum, & fortem Marſpiter ipſe manum;
Tandem à *non viſo* metuendus ſternitur *hoſte*
Guſtavus; ſterni *non aliter* poterat.

CXXII.

CXXII.

S. Thecla, accuſante matre, beſtiis objicitur, inter eaſdem illæſa.

Plurima damnatam circumſtat beſtia Theclam;
Sed (præter Matrem) beſtia nulla nocet.

CXXIII.

In Linum.

Effigiem, Line, ſæpe tuam producis, eamque
Jactas, plusque tibi, quàm ſatis, illa placet.
Sic oculos, ſic ora gero, ſic barbula, dicis,
Fronsque decens pulchrum me probat eſſe Virum.
Deniq; quàm ſpirans, & quàm ſum vivus in illâ!
Picta eſt, at pictæ ſola loquela deeſt.
Deſit: quippe loqui ſi poſſet, væ tibi! nam ſe
Effigiem Stulti diceret eſſe, Line.

CXXIV.

Blanca peſſimi mariti conjux optima.

Conjugis è coſtâ Deus Evam condidit; indè
Plus oſſis quævis fœmina, quàm vir, habet.
Hæc ita dicenti reſpondit Blanca marito:
Quare es tam durus, ſi minus oſſis habes?

CXXV.

Ad Ludovicum Haſſum, Nobiliſſimum, magnaq; Spei Adoleſcentem.

Robur habent Exempla ſuum. Primum ultimus anſer,
Et qui ſunt medij (cùm per inane volant)
Ordine prælongo, roſtro clangente, ſequuntur.
Quò volitant? ſequitur neſcia turba ducem.
Non tibi, ſed ſtulto ſint hæc communia vulgô;
Ante viam primò meta videnda tibi eſt.
Nec quinam præeant, ſed quónam, diſpice; ſitq;
Ultimus ante oculos terminus, Haſſe, tuos.
Hic ſi rectus erit, via ſit licèt ardua, longa,
Difficilis, præceps, & mala tota, bona eſt.

CXXVI.

De Momo.

Momus ſe credit multâ pollere Phroneſi;
Aſt alii credunt, multâ ægrotare Phreneſi.

CXXVII.

Ad Labienum.

Vivat in æternum Conjux meus! Ælia dicit:
Ad menſam quoties Te, Labiene, bibit.
Quæ tibi tam longam vitam, Labiene, precatur;
Si ſapis, & ſentis, hac tibi ait: morere.

CXXVIII.

CXXVIII.

Martyrium S. Thomæ Apoſtoli.

Inſtrumenta Necis Lictor ferus expedit, atque
Haurit non meritum lancea dira latus;
Cùm Thomas oculos in Cælum tollit, & inquit:
Huc infer digitum tu quoque, Chriſte, tuum!

CXXIX.

Ad Candidianum.

Divitiæ tibi ſunt amplæ? ſis largus in omnes;
Cumque rogant, miſeris (nam potes) eſto *Deus*.
Ipſus eges? ſaltem tangat miſeratio pectus,
Et miſeris *homo* ſis, ſi *Deus* eſſe nequis.
Qui miſeris *Deus* eſt & *Homo*, non dicere *Chriſtum*,
Sed *Servatorem*, Candidiane, potes.

CXXX.

S. Felix Nolanus ab araneâ ſervatus.

Lictorem fugiens Nolanus Myſta cavernam
Maceriæ, quâ ſe condat, hiare videt.
Condit: & ecce novam prætexit aranea telam,
Et jam nulla fugæ ſigna latentis erant.
Feſtinus mox Lictor adeſt, oculoque ſagaci
Omnia perluſtrans vincula mille parat.
Jamq; erat, ut patulum celer ingrederetur hiatũ:
Aſt illum Reti *cepit* Arachna ſuo.

CXXXI.

In Harpum.

Intruſus noſtro Præceptor es, Harpe, Fabullo,
Qui tibi perſolvit non parvum hucusque minerval;
Sed nihil addidicit, quia nil potes, Harpe, docere.
Non tu Præceptor, Deceptor es, Harpe, Fabulli.

CXXXII.

De Hannone.

Diligit Hanno ſuam titulo quadruplice Socrum;
Quòd pia, quòd locuples, quòd Socrus, & Vetula eſt.

CXXXIII.

Ad Alanam Viduam, unici filioli matrem indulgentiſſimam.

Fac Natum prudenter ames, miſcereq; patrem
Matri diſce, ſecus non bona mater eris.
Si blandè ſemper Sol rideat, officit: illum
Vultus atrox, & frons nubila ſæpe decet,
Fulmina quin etiam non noxia mittere; verùm
Mox iram ut grato temperet imbre ſuam,
Fœcunderque Solum. Sic pleni *frugibus* agri
Fiunt, ſic *frugi* Natus, Alana, tuus.

CXXXIV.

Conſalvus Amarantus cùm flumen ponte ſterneret, cibusq́; ac potus operarios deficeret; è petrâ vinum, ex aquis piſces citat, atque utriſque potitur.

E petrâ vinum, piſces Conſaluus ab undis
Impetrat, & gratis omnia diſtribuit,
Ponte recèns *facto* flumen cùm ſterneret. Ipſi
Talem acceptarent *Pontificem* hæretici.

CXXXV.

De Damone.

Damon veſpillo locuples eſt; tam locupletem
Fecit Damonem Pantaleon Medicus.

CXXXVI.

Calinus miles Luſitanus, loco globi plumbei dentes in hoſtes ejaculatur.

Infeſtæ ſtabant acies; manibuſq; Calinus
Atq; ferox animis audacia contulit arma,
Telaque repreſſit frendens hoſtilia; cumque
Deficeret plumbum, pugno ſua contudit ora,
Excuſſitque ſibi dentes; manualeque iisdem
Armat Tormentum, adverſumque exterritat hoſtem,

Atque

Atque pedem dextrum fugientis vulnerat. Ille
Reſpiciens, irâque fremens, ſpectanſque Calinum,
O *canis!* inquit. Ita eſt, ait alter: *dente momordi.*

CXXXVII.

Ad Paulum.

Paule meos Luſus damnatque epigrammata quidam,
Atque vocat caſſas carmina noſtra nuces.
Conturbor: nec enim ſtupidi de fæce popelli eſt,
Aut levis è trivio ſcurra, vel arte rudis,
Sed qui noſtra putat caſſæ nucis eſſe *putamen*
Carmina, judicio *nucleus* ille ſuo eſt.

CXXXVIII.

De Natali Ampliſſimi Præſulis, Gaſparis, Epiſcopi Adramiteni.

Cùm niue permiſtos minitatur Aquarius imbres,
Reſpectatq; abiens fronte minace Caper.
Et glaciata nigris horreſcunt nubibus aſtra,
Noxq; facit curtos præcipitata dies.

Lux

Lux oritur tibi Natalis Caſpare. Sed atris
Nubibus horreſcant Sidera, noxq; ruat;
Et nive permiſtos minitetur Aquarius imbres,
Reſpectetq; abiens fronte minace Caper.
Luces ante alias ſemper fulgebit; eritq;
Hæc mihi, ſit licet & *Gaſparis*, *alba* dies.

CXXXIX.

Joannes Tſerclaes, Comes de Tillij, multis prœliis Victoriisq; clariſſimis ſuperſtes, tandem ex vulnere perperam curato decedit.

Ad Alanum.

Mars Durlacenſis, Mars Suedicus, atq; Boëmus,
Cumq; Bipontino Danus ſubuertere magnum
Tſerclaum nequiit, vitâq; expellere; verùm
Quod Mars non potuit, potuit chirurgus Alane.

CXL.

Ad Fabianum Brimeſium.

Cùm inter Aulicos adlegeretur.

Acturus magni poſthac in Principis Aulâ,
Quænam ſit morum norma tenenda? rogas:
Regula, quam ſerves, tibi prima ſit: Eſſe modeſtum;
Rem tetigit, potuit qui meminiſſe Sui.

Exulet

Exulet Ambitio procul hinc, Faſtuſque, Tumorque;
Rumpitur hòc citius, quò magè bulla tumet.
Libertas animi conſtans, Mens conſcia Recti,
Momentum vitæ ſint, Fabiane, tuæ.
Multum diſſimula prudens, ac plurima neſci;
Multa tace; prodeſt ſæpe, tacendo loqui.
Deniq; ne nitidus nimiùm, vel ſplendidus eſto;
Ægris Sol oculis, cùm nitet, aſpicitur.

EPIGRAMMATUM LIBER SECUNDUS.

I.

Ad Urbem Conſtantienſem, Patriam ſuam, poſtquam à Suecis acri diuturnâq; obſidione, ſed necquicquam, preſſa fuiſſet.

ACronianas inter Urbes Nobilis
Salve mihi Conſtantia!
Adhuc cruore tincta Suecorum, efferus
Quos faſcinavit Marſpiter.
Murum curules machinæ æquârunt ſolo,
Patuêre hiatu mœnia
Centumpedali. Totus illic cùm furor,
Belliq́ue Vis incumberet,
Foſſas replêſti Victimis hoſtilibus,
Quas DIS ſacrâſti MANIBUS.
Aſt nil remiſit Ira; cladibus ferox
Suis, furebat teterius.
Sed cùm tumeret montibus ſemper novis
Immenſa moles fluctuum,
Inſtar ſtetiſti Rupis immotæ, trucis
Frangens procellas Sucdiæ.
Ergo receſſit, atq; ſenſit Rem ſibi
Fuiſſe cum *Conſtantiâ*.

II.

Exulet Ambitio procul hinc, Faſtuſque, Tumorque;
Rumpitur hòc citius, quò magè bulla tumet.
Libertas animi conſtans, Mens conſcia Recti,
Momentum vitæ ſint, Fabiane, tuæ.
Multum diſſimula prudens, ac plurima neſci;
Multa tace; prodeſt ſæpe, tacendo loqui.
Deniq; ne nitidus nimiùm, vel ſplendidus eſto;
Ægris Sol oculis, cùm nitet, aſpicitur.

EPI-

EPIGRAMMATUM LIBER SECUNDUS.

I.

Ad Urbem Conſtantienſem, Patriam ſuam, poſtquam à Suecis acri diuturnâq; obſidione, ſed necquicquam, preſſa fuiſſet.

ACronianas inter Urbes Nobilis
Salve mihi Conſtantia!
Adhuc cruore tincta Suecorum, efferus
Quos faſcinavit Marſpiter.
Murum curules machinæ æquârunt ſolo,
Patuêre hiatu mœnia
Centumpedali. Totus illic cùm furor,
Belliqne Vis incumberet,
Foſſas replêſti Victimis hoſtilibus,
Quas DIS ſacrâſti MANIBUS.
Aſt nil remiſit Ira; cladibus ferox
Suis, furebat tetriùs.
Sed cùm tumeret montibus ſemper novis
Immenſa moles fluctuum,
Inſtar ſteriſti Rupis immotæ, trucis
Frangens procellas Suediæ.
Ergo receſſit, atq; ſenſit Rem ſibi
Fuiſſe cum *Conſtantiâ*.

II.

II.

De Tuccâ.

Non fortunato conflixit Tucca duello,
Truncatuſque manu venit utrâque domum.
Sed cùm Tucca manus amiſit, tempore ab illo
Amiſſum totâ eſt ampliùs urbe nihil.

III.

Lurco impius Scenicis veſtibus diabolum per plateas publicas repræſentans.

Ridiculum eſt! Genium ſceleratus Lurco nigellum
Ex infernali vult ſimulare Styge.
Sic enſis gladium ſimulet, Serpenſq; colubrum,
Sic ſimulet porcum ſus, meretrixq; lupam.

IV.

De Pontio Pilato.

Lavit manus ſuas coram populo. Matth. c. 27.

Quid vexas guttum? fruſtra es, deſiſte lavari;
Semper inhærebit macula, æternumque manebit,
Seu fueris lotus, ſeu lautus, ſive lavatus.

V.

V.

Freſcanius Sutor Anabaptiſta, bonis ſub haſtâ venditis profugus, biennio pòſt rediit, ſectæ ſuæ factus Miniſter.

Sutor non ultra crepidam! Freſcanius ultra
Omnes Theiologos divina volumina verſans
Quantum vult reſecat, quantum vult aſſuit; atq;
Ut nuper corium, ſic jam ſua Biblia tractat,
Scripturæque Sacræ Sutorem ſe probat eſſe.

VI.

Udo Bibliothecæ direptor, in Furcam actus.

In cruce quem ſpectas, hoc ſolo nomine pendet,
Quòd nimiùm multos *legerit* Udo libros.

VII.

Alphonſus Aragoniæ Rex aſinum onere depreſſum, lutoq́; infixum equo deſiliens ipſus extrahit. Panorm. l. 1. c. 25.

Ad Ponticum.

Rex aſinum tollit de ſtercore, & *evehit* illum;
Pontice, jam multis contigit hoc *aſinis*.

VIII.

S. Jacobus Major gladio ab Herode percuſſus. Act. cap. 12.

Vertice ſit quamvis Herode jubente minutus,
Jacobus Major manſerat ille tamen.

IX.

Androgeos degener.

Inter Majorum Statuas, quas inclyta Virtus
Extulit, Androgeos vult quoq; ſtare ſuam.
Grande capit pretium, qui ſcitè effinxerit illam;
Non levis hinc Criſpum ſolicitudo tenet.
Parce metu! Androgeos facilè efformatur, & illi
Quælibet eſt ſimilis, ſi modò ſit Statua.

X.

Laus Innocentij XI. & Innocentij XII. ſummorum Pontificum.

Arcam Vacca trahit duplex; mugite Nepotes!
Reſpiciet vitulos non tamen ulla ſuos. *
* *1. Reg. c. 6.*

XI.

Wenzeslaus Rex Proteſilaum coquum, quòd capum non ſatis aſſum menſæ appoſuiſſet, veru affixum ad ignem torret. Florim. Remund.

Et Wenzeslaus coquus eſt, & Proteſilaus;
Iſte coquit capum, ſed coquit Ille coquum.

Quid

Quid dicam? neuter bonus eſt coquus, errat uterque:
Non aſſat ſatis Hic, aſſat at Ille nimis.

XII.

Ferdinandi Toletani, Ducis Albani, Statua ex machinis æneis hoſti in Friſiâ ademptis conflata. Haraus. Tom. 1.

Tormentum fuerat, nunc Bellatoris Imago eſt:
Tantum non habuit, quàm modò fulmen habet.

XIII.

De Zoilo.

Ridicula res eſt! Zoilus dicit palàm,
Nunquam abſque ſtomacho legere ſe libros meos.
O barde! batte! ſtulte! demens Zoile!
An absq; ſtomacho legere poſſe aliquem putas?

XIV.

Calliodorus in tabulâ depictus.

Non os, non naſus, non lumina, deniq; non eſt
In tabulâ quidquam, Calliodore, Tui;
Sed ſpectatori, quanta eſt, *imponit* Imago;
Et tamen *effigies*, Calliodore, *tua eſt*.

XV.

De Pollo, & Rufo.

Vomere Pollus agrum nuper ſulcabat, & unà
Scurrarum petulans de grege Rufus erat.
Hic Pollum ludens, ô Sortem, dixit, acerbam!
Sudas: nec ſudas, Polle miſelle, tibi.
Vomere proſcindis fœcundos impiger agros,
Sed non ſunt agri, Polle miſelle, tui.
Maturasq; metis Segetes, & in horrea ducis,
Sed non ſunt Segetes, Polle miſelle, tuæ.
Atq; colis Vites, & jungis Vitibus Ulmos,
Sed non ſunt Vites, Polle miſelle, tuæ.
Colligis, Autumnus quas felix procreat, uvas,
Sed non ſunt uvæ, Polle miſelle, tuæ.
Et tua, Pollus ait, Natos tibi procreat uxor,
Sed non ſunt Nati, Rufe miſelle, tui.

XVI.

Philippus Beroaldus ex aureo Apulei Aſino (in quem commentatus eſt) horridum eloquentiæ genus amplexus, linguam Latinam non excolere, ſed extinguere viſus eſt. Andr. Scot. Tullian. l. 1. c. 21.

Dum voce explanas Aſinum, Beroalde, Styloq;
Fermè argumentum factus es ipſe tuum.

XVII.

XVII.

Pater moriturus tribus filiis aſſeveravit, unicum ex iis eſſe legitimè natum, eundemq; Bonorum ſuorum heredem nuncupavit, non expreſſo nomine. Lite igitur inter eosdem exortâ:

Conſulitur Judex; à quo Sententia magno
Conſilio, ac tali lata tenore fuit:
Eia agite, ô Juvenes! depromite tela pharetris;
Heres, qui Patris pectora tanget, erit.
Exanimisq; Parens ad palum fune ligatur;
Et duo mox fratres impia tela parant.
Horret, & exheres potiùs vult tertius eſſe.
Cor Patris, ſimul ac Judicis hic tetigit.

XVIII.

De Corbulone.

Primum eſſe, & Primum dici, Primumq; videri,
Corbulo præclarum cenſuit eſſe decus.
Sed cùm ſe nusquam præcellere poſſe videret,
Nomen militiæ, Marte favente, dedit;
Marte favente dedit: nam res bene ceſſerat, atq;,
Cùm fugerent omnes, Corbulo primus erat.

XIX.

In Papilum.

Clepſiſti *Vitulum*; totâ *Fur* urbe vocaris;
Nunquid hic eſt *Titulus*, Papile, *cum Vitulo?*

XX.

Aluilda Regia puella, ut Sponſo frueretur, quem invito atq; obſiſtente Patre deperibat, virilibus induta veſtibus marî aufugit; cùm navem, quam eſſe hoſtilem exiſtimabat, eminus conſpicata, arma (Ducem enim agebat) expediri jubet; ſed agnoſcitur à Sponſo, poſitiſq; telis data fides inter mutuos amplexus exolvitur.

Saxo Lib. 7.

Fœmima Vir facta eſt, mox feruent prælia; ſed cùm
Depoſuit, rurſus fœmina facta, Virum,
Pax rediit; quam ſi cupias, nova Nupta, manere,
Fœmina fac maneas, néve Vir eſſe velis.

XXI.

Ad Ponticum.

De epigrammate præcedente.

Judicium noſtro de Carmine ferre rogatus,
Quàm gravis eſt Titulus! quàm leve Carmen! ais:
Sic eſt: ſed geſtis reſpondent omnia Rebus;
Quàm levis & gravis eſt, Pontice, Fœmina Vir!

XXII.

Linus Judex à Ruſo corruptus.

Non accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes. Exod. 23.

Attulerat Rufus multos pro munere nummos;
Unicus inter eos nummus adulter erat.
Continuò vidit Judex, aliumque popoſcit;
Quem dedit, & tacitè ſecum ita Rufus ait:
Judicis excæcant oculos data munera: verùm
Non excæcârunt munera noſtra Linum.

XXIII.

Amaſius in gratiam Tulliæ vas Sale confertum in cœnâ exhaurit.

Quem deglutito plenum Sale credis, in illo
Non eſt, crede mihi Tullia, mica Salis.

XXIV.

Ad Hernicum.

Sæpe Labor ſine Virtute eſt, nunquam absque labore
Virtus: hinc quantò eſt calloſior Hernice, tantò
Plus habet illa Sui, ſemper Se major, & inſtans
Acriter ipſa ſibi multo à conamine robur
Accipit, increſcensque malis, duratur ab illis,
Iratæque hebetat Fortunæ tela, ferendo;
Et jam tota Sua eſt, & nullius indiga Se ſtat.

XXV.

Capreolus, ex Sartore Aulico, Conſul. Anno 1682.

Servare Sartum Principem
Tectumque ſuetus hactenus
Servare Sartam juſſus eſt
Tectamque nunc Rempublicam.

XXVI.

De Afro.

Ne fruſtra naſo Natura beaverit Afrum
Tam grandi, factus Pharmacopola fuit.

XXVII.

De Labienâ.

Ingens abſenti nupſit Labiena Procillo;
Quo poſt Septenos adveniente dies,
Dum circumſpectans nil cernit, denique Sponſum
Uſa microſcopio conſpicit illa ſuum.

XXVIII.

De Lino.

Candida barba Lino eſt,& nix circumdedit ora;
Sed nigri crines toto ſtant pectore. Mallem
Ut Linus ore niger, ſed pectore candidus eſſer.

XXIX.

Epitaphium Civium fortiter in obſidio occumbentium.

Pro Patriâ cadimus, Seri ſpectate nepotes,
Et quando hîc *terra infoſſi* bis mille *jacemus*,
Vos *Patriæ ſtantis* nos dicite *fundamentum*.

XXX.

Effigies Coſmi Medicæi, Principis omni laude Clariſſimi.

Quisquis in hanc tabulā ſpectator lumina vertit,
Continuò auditur dicere: Coſmus hic eſt.
Tam ſcitè, quidquid Naturæ eſt, Arte refertur;
Naturæ: ſed nil Dux Generoſe Tui.
Grandius hoc opus eſt: Tu Solus es ille magiſter,
Ex Vero qui Te, Coſme, referre poteſt.

XXXI.

Rillio ex Milite Sartor.

Rillio nuper erat miles *gravis armaturæ*,
Nunc *armaturæ* dicitur eſſe *levis*.

XXXII.

S. Simeon Stylita 30. annis columnæ inſiſtens, eidemq; immoriens. Evagr.

Stans moritur Simeon; is, qui tot luſtra, tot annos
Numinis ad laudem nocte dieq; *ſtetit*.

Poſt mortem, Vitæ rationem reddere juſſus
Reddidit, & nunquam pulchriùs ille *ſtetit*.*

* *Cic. 2. in Ant. Cùm in Senatu pulcherrimè ſtaremus.*

XXXIII.

Scipionis in Patrem Pietas.

Sen. l. 3. de Ben. c. 33.

Bis Patrem eripui medio diſcrimine, quando
Non exorandæ Victima mortis erat.
Ille mihi vitam dederat ſemel; ecce viciſſim
Vitam, quam dederat, bis ego reddo Patri.
Ergo quid dicam? juvat exclamare: Parentis
Natus ego, Nati Filius ille fui eſt!

XXXIV.

Lycus Clanculariorum, ſive Fratrum hortenſium præco; idemq́ nocturnus horarum proclamator. Scher. in Conc.

Præco die eſt, noctu populo denunciat horas;
Paſtorem vigilem quis neget eſſe Lycum?

XXXV.

De Eodem.

Non eſt omnino mendax: ſtata tempora ſervans
Falſa die loquitur, Veraque nocte Lycus.

XXXVI.

XXXVI.

De Eodem.

Gravis, & Severus eſt Lycus die totâ:
Sed nocte vigilans eſt homo omnium horarum.

XXXVII.

Parentibus morti adjudicatis, Panutio, ob eximia in Rempublicam merita, optio datur: Patrémne, an Matrem eripere Supplicio velit.

An Patrem, an Matrem ſervem, datur optio: dumque,
Quod miſer optavi, non ſinor ipſe mori,
Servo Patrem, & laudor, Pietasque vocatur; an unquam,
O Superi! Pietas tam ſcelerata fuit?

XXXVIII.

De Acerrâ.

Grandem mercedem promiſit Acerra Magiſtro,
Menſibus ut denis gladiandi addiſceret artem.
Addidicit. Nunc ergo ferox graſſatur, & omnes
Provocat, & crebros gladio ruit acer in hoſtes,
Et dat chirurgo plus, quàm dedit antè Magiſtro.

XXXIX.

Barba Viro excidit, Mulieri crevit.

Ambos novit Author.

Barba Viro cecidit, mulier ſibi creſcere ſenſit;
Omnibus ut conſtet, quid ſit uterque domi.

XL.

Pantagathus opificio molitoris à Patre addictus.

Pantagathus primos Studiis addixerat annos,
Mox furtis; & in hâc citiùs profecerat arte.
Sæpe parens monuit puerum, Scuticâq; cecidit
In caſſum; crevitq; ſimul creſcentibus annis
Ardor furandi, cupidæque audacia mentis.
Ergo pater metuens offenſi Judicis iram,
Carnificisque manum; ſontem ne fortè prehendat,
Suffigatque cruci: ſaltem ſua furta deinceps
Impune ut faceret, Molitorem juſſerat eſſe.

XLI.

Syriſcus ex Architecto Baliſtarius.

Ad Ponticum.

Pulvere nitrato mutavit ligna Syriſcus,
Et jam non normam, ſed gerit arma manu.
Et Tormenta librans miſeram jaculatur in Urbem,
Quasque olim ſtruxit, deſtruit ipſe domos.

Pro-

Providus hæc agitat: modus eſt hic, Pontice, quo Se
Poſt Bellum, factâ Pace, Syriſcus alat.

XLII.

Effigies Glabrionis in lapide ſepulchrali.

In *ſaxo* ſculpi defunctum Galla maritum
Juſſit, & inſcribi: Glabrio *talis* erat.

XLIII.

S. Joannes Chryſoſtomus poſt ſuſceptum Baptiſmum nunquam mentitus eſt. Baron. ex Sophron.

Nunquam mentitus fertur Chryſoſtomus eſſe;
Et, quod mireris, Cauſidicus fuerat.

XLIV.

Ruſticis triturantibus Milites prædatores ſuperveniunt, ſed flagellis frumentariis peſſimè ab iisdem multati. Anno 1682. propè Luxemburgum.

Quodnam opus? aut quisnam labor eſt novus iſte Colonis?
En, poſt frumentum ζιζάνια excutiunt.

XLV.

S. Franciſcus de Sales, Fundator Ordinis à Viſitatione B.V. nuncupati, Conſtitutiones ſcripſit Suavitate ſimul ac Prudentiâ mirabiles, â morte ſine felle repertus.

Sal-es.

Suavis, ſed *prudens* Franciſci eſt Regula; nempe
Qui *ſine Felle* fuit, non fuit *absque Sale*.

XLVI.

Carolus V. Seldio Fratris ſui Legato multùm reluctanti, deprecantiq́; noctu (famulis ſomno vinoq́; ſepultis) facem usque ad cubiculum prælucet.

Quando facem præfers Legato Carole, cunctis
Cæſaribus præfers Principibusq́ue facem.

XLVII.

Ad Carmenianum.

Quo pretio, vel quo Sapientia vera paratu
Poſſit emi? dudum, Carmeniane, rogas:
Cautè Jucundis, jucundè Triſtibus uti,
Cumq́ue dies abiit, dicere poſſe ſuum:
Tanti, non pluris conſtat Sapientia; quisquis
Se ſibi dat, pretium, Carmeniane, dedit.

XLVIII.

Epitaphium Calvi.

Hîc ſitus eſt Calvus; tumulo de marmore ſtructo
Heredes meritum compoſuêre Virum.
Tot Bona Naturæ poteras, Spectator, in illo
Et tot Virtutes, quot numerare pilos.

XLIX.

Diſcrimen inter Phariſæos, & ſacrilegè confitentes.

Sacrilegorum hoc eſt: facere, & non dicere.
contra
Hoc Phariſæorum eſt: dicere, non facere.

L.

Terræ motus.

Ad Marcum.

Terra tremit magnis ſuccuſſa tumultibus: *ædes*
Urbe *ruunt* totâ; Cives ſua damna queruntur,
Et ſolus *ridet*, reliquis lacrymantibus, *Ulmo.*
Cauſam Marce rogas? *eſt cæmentarius Ulmo.*

LI.

Phago ex Literarum Studioſo Faber ferrarius.

Se Phago ſolerter Muſis, ſed Numine lævo,
Impendens, oleum perdidit, atque operam.

Sæpe

Sæpe quidem Phœbũ ſupplex in vota vocavit,
Sed ſprevit fuſas durus Apollo preces.
Crebras interea pœnas dedit ille Magiſtro,
Quodque ſolet fieri, verbera multa tulit.
Et miſerè cæſus Scuticâ eſt, ac ſæpe reliquit
Triſtes in tergo livida plaga notas.
Quid faceret? juſſis Phœboq; libriſq; valere,
Fortunæ poſthac vult faber eſſe ſuæ.
Jamque trahit folles, & pigros ſuſcitat ignes,
Et fuligo nigras inficit atra genas.
Et tundit candens multo conamine ferrum,
Et ſtat ad incudem, quod priùs ipſe fuit.

LII.

Puer Romæ fuit Staturâ ingentis Viri.
Sen. L. de Irâ.

Staturâ puerum mirata eſt Roma virili;
Tot modò ſunt tales, nemo ampliùs ut miretur.

LIII.

Impius Euclio hemiplexiâ tactus.

Mortua pars una eſt, ſed adhuc pars altera vivit;
In parte tantùm morbus alterâ peccat.

LIV.

Ad Labienum.

Plurima me Senii vexant incommoda, vetùm
Nec ſum, nec videor tetricus eſſe Senex.

Ludo

Ludo cum morbis; ſed quando ludimus unâ,
Omnia ſi perdam, Me, Labiene, lucror.

LV.

Ad Ligurinum.

Quando cum Rufo cænavi, cumque Sabello,
Prodigus ille Patris mihi Filius eſſe videbar;
Nam me cum porcis veſci, Ligurine, putabam.

LVI.

Lentinus & Paulus contemplantur pictam in tabulâ effigiem Sexti.

Lentinus ad Paulum.

Veráne, Paule, refert, an nos hæc fallit Imago?

Paulus.

Si nos non fallat, vera referre nequit.

LVII.

De Mamuriano.

Dicunt officio feſſum ceſſiſſe Charontem,
Tempore, quo Medicum Mamurianus agit.

LVIII.

Virtus.

Fortis, non rigida eſt Virtus; generoſaque ſemper
Multum magnanimæ Nobilitatis habet.

Hâc

Hâc Vir ſtante Vir eſt, & Fœmina deſinit eſſe
Fœmina; quotque ſumus, maſcula turba ſumus.
Fac illa ſervet Mulier, Vir deſerat illam;
Tunc Mulier vir erit, tunc Vir erit mulier.

LIX.

Saxum Sepulcrale Maronillæ Uxoris Canii Lapicidæ.

Hunc lapidem ſculpſit meus ipſe maritus, & illi
Viſus tam facilis non labor ullus erat.

LX.

Ad Theleſinum.

Dimidium, Theleſine, Sui vocat Afra maritum,
Ne poſſis omni dicere parte malam.

LXI.

Mopſus in exilio propter furta ſuſpenſus.

Quòd piceis manibus, nimiumqúe rapacibus eſſes,
Interdixit *Aquâ* Prætor & *Igne* tibi.
Cùm neque ſic ſaperes; omni quoque denique *Terrâ,*
Atque interdictum eſt *Aére,* Mopſe, tibi.

LXII.

LXII.

Quidam cùm luſu omnia amiſiſſet, tandem & dentes perdidit, eoſdemq́ evelli ſibi paſſus eſt. S. Bernardin. Serm. 42.

Hem! luſor vecors edentulus ante Senectam eſt.
Noſter, cùm ludit, cautiùs Hyllus agit.
Dentibus is parcit, ſed eorum perdidit uſum,
Nam vix, quod poſthac rodere poſſit, habet.

LXIII.

Philomuſus Poëta ſuaviſſimus, ſed non perinde acutus.

Quæ concinnâſti, miſiſti epigrammata, & à me
Cenſuram expoſcis, judiciumque: dabo.
Tu Philomuſe apis es, mel ſunt tua Metra; ſed eſſe
Inter apes Regem Te, Philomuſe, puto.

LXIV.

Ad Pontilianum.

Romano, ac veteri cultu (ſic pinxit Iollas)
Vidimus effigiem, Pontiliane, tuam.
Dum circumſtamus, contemplamurq́; tabellam,
Quem vultum hæc, inquit Rufus, imago refert?
Nemo te novit, quia nemo viderat antè;
Hinc divinandum, Pontiliane, fuit.

Dumque

Dumque tacent omnes; tandem Libo: Lentulus hic eſt;
Imò Cethegus hic eſt, Calliodorus ait.
Carpophorus vultum Catilinæ cenſuit eſſe;
Lentino facies viſa Neronis erat.
Nullus erat, qui non Nebulonis crederet eſſe
Cujusdam vultum, Pontiliane, tuum.

LXV.

Inſcriptio Cœmeterii.

Hæc, quæ cincta novo ſtant Cœmeteria muro,
Condita ſunt, tumulis Defunctorumq; repleta,
Conſulibus Cajo & Mario, Medicoque Sabello.

LXVI.

Budæus ipſo Nuptiarum ſuarum die, antequam ſolenni ritu celebrarentur, continuis aliquot horis ſtuduit. Lud. Reg. in Vitâ.

Pallas habet primas, Budæe, Venusq; ſecundas;
Mirum eſt, judicium hoc ſi tua Juno probat.

LXVII.

Ad Linum Spleneticum.

Narrâſti trepidus, nimis ægrotare Libonem;
Viſi hominem: languet corpore, mente valet.
Nec querulas verſat timido ſub pectore curas,
Imò vix ægrum ſe putat eſſe Libo.

Majo-

Majoremque, cavet, ne reddat opinio morbum;
Non tam ægrotare eſt hoc, Line, quàm ſapere.

LXVIII.

Selius fortiſſimè in prælio decertans à Gambarâ occiditur. Ad Ponticum.

Undenos Selius, Selium ſed Gambara ſtravit;
Pontice, plus ſtravit Gambara, quàm Selius.

LXIX.

De Pollione.

Divite cum Viduâ Cognatus Pollio ludens
Omnia, ſed ſtudio, perdit: avarus homo eſt.

LXX.

Ad Coſmum.

Carmina componis nimiùm properante Minervâ;
Lentè feſtina Coſme, moramq; trahe.
Ingenium multo gravidũ ſit tempore; longùm
Poſtea parturias; deniq; Coſme pare.
Nî tibi nî tali generabitur ordine fœtus,
Si formoſus eris, pulcher abortus erit.

LXXI.

Naufraga Mater dorſo natantis filij inſidens in litus evadit.

Naviſragus ſociam Natus fero tergore Matrem,
Utero novenos ipſa quem menſes tulit.
Reddo

Reddo vicē, reddoq; libens, nec ſentio pondus;
Jugum enim meum ſuave, atque onus meum leve eſt. *
* *Matth. cap. 11.*

LXXII.

In degenerem Stemmatis ſui jactatorem.

Splendor Majorum tanta eſt tibi gloria, quanta eſt
Accenſa lampas ſtercori.

LXXIII.

Cæcilianus ad incitas redactus.

Cæcilianus *aquaductu* recreatur, & horto;
Contulit huc omnes luxurioſus opes.
Hinc videas curſare rotas agitantibus undis,
Surgereq; hydraulis flumina juſſa cavis,
Ac rurſus, veluti cataractas, lapſa deorſum
Subtus humo tacitis largiter ire tubis.
Inſuper & cochleas, euripos, commata, nilos,
Et cum ſqammigero limpida ſtagna grege.
Et pandos ſalientis aquæ crateras, & æra,
Æra Corinthiacis uſq; petita plagis.
Quò res devenit? biberas Vinum hactenus, at nunc
Guttur *aquaductus*, Cæciliane, tuum eſt.

LXXIV.

LXXIV.

S. Lupus, Epiſcopus Trecaſinus, Urbem obſeſſam ab Attilæ furore tuetur. Turon. de glor. conf.

Attila nec ferro, nec flammis deſtruit Urbem,
Et ſervat cives Præſul ab hoſte ſuos.
Dicat nunc aliquis, poſsítne fidelior ullus
Paſtor, vel melior Dux gregis eſſe Lupo?

LXXV.

Strophilax, fugax miles.

Tam citò quòd fugiat Strophilax, ex omine diſce;
Cùm pareret mater, natus agrippa fuit.

LXXVI.

Ad Aulum.

Vir mœchus, Conjux mœcha eſt, & ganeo Natus,
Major Nata lupa eſt, & lupa Nata Minor,
Et Famulus leno, meretrixq; Ancillula; quamvis
Sint numero Septem, ſunt tamen, Aule, pares.

LXXVII.

Epitaphium Agricolæ.

Denſatam toties *laxabi* vomere *Terram*;
Ingrata eſt, ſi non ſit mihi *Terra lebis*.

LXXVIII.

Incola Domûs trium Contignationum.

Prodigus in mediâ, ſummâ Euclio, Largus in imâ eſt;
Virtuti hic proprius nunc ſolet eſſe locus.

LXXIX.

Agrippina juſſu filij trucidata.

Agrippina obiit; dubitatum eſt, ánne patrârit
Plus pariendo mali, quàm moriendo boni.

LXXX.

Vince te ipſum.

De Baccarâ.

Baccara ſe vicit, vicit ſe Baccara: prô quàm
Sub pede Victoris beſtia bruta jacet!
Æternùm jaceat! dicamq; ego, Baccara, Romam
Tyromachum ſimilem non habuiſſe tibi.

LXXXI.

Epitaphium Belli Ducis.

Ad Lectorem.

Dux fueram, & dux ſum, ducens modò grandius agmen,
Quàm quondam; imò etiam Dux tuus: I, ſequere.

LXXXII.

LXXXII.

Timon nauta imperitus.

Quis plures animas navi tranſmiſerit Orco,
Multum inter ſeſe certant Timonque, Charonque.

LXXXIII.

Cærelia Rufi conjux.

Rufus habet chiragram, gaude Cærelia, gaude;
Namque uti linguâ nunc liberiore licebit,
Nec poſthac oculi liveſcent, atque manebunt
In ſtatione ſuâ firmo nunc robore dentes,
Nec toties nares manabunt ſanguine, quippe
Rufus habet chiragram, gaude Cærelia, gaude.

LXXXIV.

Hylas Adamitarum præco à Lupo devoratus.

Si verum eſt, quòd daps Aliti ſubſtantia fiat,
Nil mutavit Hylas; quod fuit antè, manet.

LXXXV.

Juliana Virgo diabolum viſibili ſpecie ſibi inſidiantem funibus ligat, inq; latrinam præcipitat. Sur. T. 1.

Epitaphium.

Immundus dæmon fuit hîc tumulatus, ut eſſet
In Mauſoleo conveniente ſitus.

LXXXVI.

In Frontonem Rhetorem.

Fronto peroravit tribus horis; atque placebant Principium & Medium nulli, pars ultima cunctis.

LXXXVII.

Avaritia, Prodigalitas, Frugalitas.

Eſurit inter opes Criton, ô dives egeſtas!
Decoctor Clytus eſt, divitiæ ô inopes!
In modico cenſu vivit frugaliter Helmo;
Parca ô pauperies! ſed ſine pauperie.

LXXXVIII.

In Calliodorum.

Multa rogas, non quòd cupias cognoſcere verū;
Vt contra dicas, Calliodore rogas.
Hinc eſt, quòd nunquam, vel rarò vera loquaris,
Si quidquam poſthac, Calliodore, roges,
Falſa tibi dicam, ſaltem ut ſic dicere verum
Contra dicendo, Calliodore, queas.

LXXXIX.

Linus decoctor à Patre exheredatus.

Exheres Linus eſt, qui patris filius eſſe
Deſierat, poſtquam maluit eſſe *nepos*.

XC.

XC.

Aula ob ingluviem pinguiſſima, per Vernum Jejunium habilior.

Non tam multa vorans ſenſim decrevit, habetq;
Ut minus Aula Sui, ſic minus Aula Suis.

XCI.

Leo I. Pontifex Maximus manum, quâ mulieris oſculum excepit, faceſq; illicò ſenſit libidinis, ſibi ipſe amputat.
In Vitâ.

Pontificis manui mulier dedit oſcula; flammis
Mox ardet Cypriis ille, ſecatq; manum.
O atrox, inquis factum! nil diſputo: Factum
Sed tamen (& negat hoc nemo) Leonis erat.

XCII.

Ad Calpetianum.

Non ut honoratus, magis ut ſis dignus honore,
Semper, dum vivis, Calpetiane, ſtude.
Eſt inhonorus honor, cùm fert indignus honorem;
Eſt, cùm fert illum dignus, honorus honor.
Sic eadem res eſt inhonora, & honora, poteſtq;
Eſſe tibi decori dedecoriq; decus.

XCIII.

S. Euphroſina diſſimulato ſexu monachum induta Smaragdum ſe nominat, hominiq; luſco Viſum reſtituit.

In Vit. PP.

Quæ Virtute *ſirens* oculos recreare valebat,
Si quis fortè velit nôſſe, *Smaragdus* erat.

XCIV.

De Afro Cauſidico.

Sedit Conſilium, & Judex converſus ad Afrum
Incipe, ait, Cauſam dicere Carpophori,
Ergo velut plenis indulget navita ventis,
Sic linguæ indulget protinus ille Suæ;
Legesq; implorans partes ſe torquet in omnes,
Contenditq; acer lumine, voce, manu.
Tresq; tenent horas calidæ certamina Litis,
Carpophorusq; ſuam rem bene credit agi.
Cùm rurſus Judex feſſum converſus ad Afrum,
Incipe, ait, Cauſam dicere Carpophori.

XCV.

Paſſer dum muſcam capit, à Falcone capitur.

Dum capio, capior; dũ, mordeo, mordeor; & me,
Eſuriens muſcam dum voro, Falco vorat.
Quã citò fœminei generis res maſcula facta eſt!
Vix ego prædo fui, mox ego præda fui.

XCVI.

XCVI.

Ad Aulum.

Non tunc, cùm gemmas & fuluum congeris aurum,
Et partas arcâ condis auarus opes,
Sed tunc dives eris, Cræſoq; opulentior ipſo,
Si modico, quod habes, uteris, Aule, bene;
Si Superûm laudas donum frugale, tibiq;
Tunc quoq; ſi ſatis eſt, cùm tibi non ſatis eſt.

XCVII.

Ad Linum.

Es capito, fronto, naſo, labeo, ac deniq;
Tota tua facies, Line, mera eſt hyperbole.

XCVIII.

Mulier fatua, fracto ad parietem capite, ad mentem rediit. Rondelec. de Melanc.

Ad Momum.

Stulta caput muro impingit, frangitq; ; ſed ecce
Continuò menti redditur illa ſuæ,
Atq; repentè ſapit. Capis hæc miracula? muro
Nec dudum impingis tu quoq;, Mome, caput?

XCIX.

De Frontillone.

Frontillo credit, eſſe ſe Virum *grauem*,
Et tota id ipſum *credit*, & dicit domus.

C.

De Huſſone.

Somniat Huſſo, manus ſe furi inferre, ſuâq;
Evigilans prenſum ſe videt eſſe manu.
Nec jam cum capto placuit contendere, furem
Sed Libertati reddidit Huſſo ſuæ.

CI.

Matho poſt exactam in militiâ ætatem Senex pauperrimus.

Poſt tot conflictus, poſt tot diſcrimina Belli
Emeritus Matho vivit adhuc, & *veſcitur aurâ.*

CII.

De Naſica.

Multam progenuit ſobolem Naſica, frequensq;
Circumſtat charum turba novella Patrem.
Conſul is eſt; verùm venienti nuper in ædes
Pamphilio viſus Gymnaſiarcha fuit.

CIII.

Cambiſes Rex Perſarum Siſamni iniquè judicanti cutem detrahi jubet, eâdemq; Sellam Judicis conveſtiri, filio in locum Patris ſuffecto.

Siſamnes ſedit Judex, trepidâſſeq; nunquam
Tradit nummatum priſtina fama Reum.
Clœlius occidit matrem, Priſcusq; Sororem,
Percuſſorq; palam notus uterq; fuit;

Vicit

Vicit uterq; tamen, cauſam dicente crumenâ,
Nec ſcelus iſte luit, nec ſcelus ille luit.
Canius exilium, Gladium Titus ære redemit,
Cæciliusq; crucem, Carpophorusq; Rotām.
Demum, quam cuperes, empta eſt Sententia nummis;
Iſtis facta bona eſt, ſi mala cauſa fuit.
Attamen hic (Leges qui ſic protriverat omnes,
Proſcripſitq; ſuâ iuraq; fasq; domo)
Hic, inquam, hic ipſus (mira ô converſio!) Judex
Sedes Juſtitiæ demq; factus erat.

CIV.

Ad ejusdem filium.

Pro Patre Nate præes Cauſis, & diſcutis illas,
Neſcio quàm juſtè; certè *non* niteris *æquo*
Tunc, cùm dicenda eſt Sententia, *fundamento.*

CV.

Petrus Conſaluus publicè deriſus, Rebus Terrenis valere juſſis Ordinem S. Dominici ingreditur, Sanctitatis dehinc famâ celebris.

Dum ſeſe circumſpiciens laſcivit, & alto
Vectus equo gyros agitat, cadit: inq; cloacam
Excuſſus pingui merſatur Petrus oleto.
Fit riſus, plenos populo tollente cachinnos;
Aſt ille interea Mundum, luxumq; peroſus,

Jam melior, multo fædatus Stercore ſurgit,
Atq; bonum vel ſic poſt ſeſe linquit odorem.

CVI.

SS. Perpetua & Felicitas
7. Martij.

Furit Tyrannus, in duas
Deſæviens Viragines.
Sed nil pavent Tyrannidem,
Contraq; vim, minasq; ſtat
Perpetua, ſtat Felicitas.
Vtriq; nunc pro præmio
Perpetua ſtat Felicitas.

CVII.

S. Serapion codicem Evangelij vendit, ut pauperculis ſubveniat. In vit. PP.

Vendit Evangelium , pretium largitur egenis;
Ut, quod vendiderat, ſervet Evangelium.

CVIII.

In Corvum, quem Author educavit.

Corve meus luſus, lepor, & jucunda voluptas,
Corue, cui Dominum ſors dedit æqua bonũ.
Libertas tibi magna fuit; poterasq; volare,
Quò velles, & quò te tuus egit amor.
Sæpe diù viſus non es; tamen usq; redibas,
Gnarus quàm pinguis ſit tibi menſa domi.

Sed

Sed piget hæc memorare: juvat meminiſſe, loquelâ
Sacras humanâ te recitâſſe preces;
Abſtraxiſſe meo vitra te ſpecularia naſo;
Venantem mures felis obîſſe vices;
Conſediſſe manu; libantem baſia roſtro
Ore meo manſos eripuiſſe cibos;
Cumq; ægrotarem, morbum te ſponte notâſſe,
Et, quaſi ſentires, indoluiſſe mihi.
Deficeret Menſis, totus decurreret annus,
Blanditias vellem ſi numerare tuas.
Vnum, ſed tacitè (ne quisquam exaudiat) addam:
Propter furta malam te meruiſſe crucem.
Atq; pependiſſes: ſed enim tibi profuit, ipſâ
Nequitiâ Domino te placuiſſe tuo.
Nam quanquam factus cicur es, tamen ille ſciebat,
Quod ſis & maneas Coruus, id eſt, nebulo.

CIX.

In Codrum, olidum homuncionem.

Quaſcunq; in ædes Codrus intrat, actutum
Implent acerras incolæ,
Suavesq; odores excitant; ſibi ſtultus
Solet id honori ducere.

CX.

De Gallione.

Binos à Superis petiit ſibi Gallio Natos,
Sed qui morigeri ſint, ſimilesque patri.

Audivêre preces Superi, pepêritque marito,
Ut petiit, Natos Cæciliana duos.
In cruce ſuſpenſus pendet nunc Gallio: reſtat,
Nati ut morigeri ſint, ſimilesque patri.

CXI.

Aballiardus hæreticus nihil neſcit præter ſe ipſum. S. Bern. ad Innocent. epiſt. 191.

Aballiardus, præter unam Rem, nihil
Neſcit; ſed id, quod neſcit, eſt perquàm leve.

CXII.

Lycurgus, ad tollenda ebrietatis damna, Vites ferro exſcindens pedem ſibi ipſe imprudens amputat. Plutarch.

Dum Bacchum truncas, truncat te Bacchus; & ipſe
Cùm ſacra truncares germina, Truncus eras.

CXIII.

Ad Caſtricianum.

Inſevi frondem ſtirpi; nunc pulchra ſtat arbor,
Et fructus, quos jam terque quaterque tulit,
Neſcio, quid ſapiant mihi dulciùs omnibus illis,
Quotquot vicini proximus hortus habet.
Nunquid ſtulteſco? rogo, dic, guſtúne pyrorũ
Recreor, an guſtu, Caſtriciane, mei?

CXIV.

CXIV.

Ad Coſmum.

Gnavus ſis ſemper; nunquam fuge Coſme laborem,
Crede mihi, pretium dulce laboris erit.
Dux factus Linus eſt, nunquam qui viderat hoſtem;
Fecit Reginæ gratia multa Ducem.
Nunquam is ſyncerè, capiens ſtipendia, gaudet;
Id, quod ei nummos exprobrat, intus habet.
E grege miles erat Strophilax: emerſit, & inter
Præclaros magnus Dux ſtat & ipſe Duces.
Gratuitò tantus non eſt; ſudavit & alſit,
Mensque capax illum ſuſtulit, atque labor.
Aurum cùm numerat, delectant ſuaviter illum,
Quas ipſi Mavors accumulavit, opes.
Non onerat merces quæſita labore pudorem;
Mirum eſt, quàm vox hæc dulcè ſonet: *merui.*

CXV.

Cives Winſpergenſes gravi obſidione preſſi, pactiq;, ut tantum liceret Urbe efferre, quantum valerent dorſo fœminæ geſtare, ab Uxoribus ſuis exportati, iraq; Cæſaris erepti. Bodinus in Proëm. de facil. oblect. & utilit. Hiſtor.

Ingentem mulier dorſo fert parva maritum,
Parque oneri vires dum ſtupet ipſa ſuas,

Riſit *Amor*: multumque erras, ô fœmina! *ſola*
Si te ferre putas tam grave pondus, ait.

CXVI.

Vera Amicitia.

Ad Firmicum.

Qui, tibi ſi qua videt bellè ſuccedere, ridet,
Succeſſusque tuos judicat eſſe ſuos;
Et, ſi forſan eges, is Amoris Firmice leges
Servat, datque tibi, quod daret ipſe ſibi.
Dumque aliquid reſtat, ſi, cùm pius omni
præſtat,
Te, non ſe, quærit: Verus Amicus erit.

CXVII.

Ad Ancum, Spurium.

Quando Notus ſpirat, quâ ſpiret origine, ſci
mus;
Neſcit Natales diſſimulare ſuos.
Sic tu, quantumvis cupias, multumque labores
Abdere Natales non potes, Ance, tuos.
Quære, ubicunque voles, & ubique negabitur
ortum
Poſſe latere Noti, poſſe latere Nothi.

CXVIII.

De Phormione.

Phormio Tonſoris, Chirurgi, & Pharmaco
polæ,
Et Medici, & Mortis fungitur officio.

CXIX.

De Phyllide.

Umbram fortè *ſuam* Phyllis dum conſpicit, horret,
Nam monſtrum è Stygio credidit eſſe lacu.
Mox igitur fugit; quod cùm Theleſina videret,
Quorſum, inquit, properas? ô bona! ſiſte gradum:
Non fuit id monſtrum, quod conſternata videbas,
Sed tantùm *monſtri*, Phyllis, id *umbra* fuit.

CXX.

De Ottilone, Medico vultuoſo.

Horridus aſpectu, medicâ tamen inclytus arte,
Et par Hippocrati, Pæonioque Seni,
Spicula fixuram procul hinc fugat Ottilo mortem
Terribili vultu, ſi medicando nequit.

CXXI.

Ruſtica è pago Montagno fili tenuiſſimi à ſe ſubtiliter ducti glomum Berthæ Imperatrici in manus offerens tantum ruris dono accipit, quantum filo illo complecti potuit.

potuit. Hinc divitiæ & origo Nobiliſſimæ Montagnorum Familiæ Patavii.

Manc.

Nobilitas, & opes, & denique Montagnorum
Omnia ſunt hominum tenui pendentia filo.

CXXII.

Ad Parthenopæum.

Mars attrivit opes, hinc fles noctuque diuque,
Et plus, quàm deceat, Parthenopæe, virum.
Crede mihi, pendit Fortunæ grande Tributum,
Qui dignam lacrymis judicat eſſe ſuis.
Has igitur vectigales qui fecerit, ille
Agnoſcit Dominam, Parthenopæe, ſuam.

CXXIII.

S. Maximus Martyr crudeliſſima tormenta non dolori ſed jucunditati ſibi eſſe gloriatus eſt.

Ut quisquam jucunda putet tormenta, feratque
Leniter, ac gaudens, illum Virtutibus eſſe
Magnum non ſatis eſt, opus eſt, is Maximus ut ſit.

CXXIV.

Cauſidicus iniquus à Galeatio Mediolanenſium Duce patibulo addictus.

Cauſidicum injuſtum cùm Dux ſuſpenderet, eja
Sic citò ditarer! clamavit Reſtio quidam.

CXXV.

CXXV.

Ad Linum.

Te, Line, vidit Hylas noſtrum reptare per hortum,
Nec novit, ſerus tunc quia veſper erat.
Ergo vel mœchum, vel furem credidit eſſe.
Cùm te non novit, Te, Line, novit Hylas.

CXXVI.

De Probo & Rufo.

Interrogatus de Suo Probus patre,
Non vivit ampliùs, inquit, *ad plures iit.*
Interrogatus Rufus etiam de ſuo,
Non vivit, inquit, ampliùs quidem & meus,
Ad pauciores ivit, ut ſpero, tamen.

CXXVII.

De Helmone, Medico. Ad Pamphilum.

Parendum eſt Medico, fruſtra tibi pharmaca præbet
Pamphile; ni, fieri quod jubet ille, facis.
Hinc curam gerit Helmo mei, te deſerit Helmo,
Meque valere facit, teque valere jubet.

CXXVIII.

CXXVIII.

De domo Atthidis.

Ad Ponticum.

Picta recèns extra eſt, vetus eſt domus Atthidis intra;
Pontice, quàm ſimiles ſunt Domus & Domina.

CXXIX.

De Mopſo.

Nomen militiæ poſtquam dedit, omnia Mopſus
(Hoſtibus exceptis) ſuſtulit è medio.

CXXX.

Charopina, mulier rixoſa, protervaq́ Xantippe, Gambara conjux.

Ad Alanum.

Chærulus urgebat, cælebs ut Gambara tandem
Duceret uxorem; noluit ille tamen.
Aſſiduosque patris ronchos pertæſus, & iras,
Ad caſtra indignans fugit, & arma tulit.
Bellonâque fruens facili, faciliqúe Gradivo,
Dux è plebeio milite factus erat.
Acriter objectos ergo graſſatus in hoſtes
In crebram vertit Signa inimica fugam.
Inque manus dederat centum Victoria palmas,
Et Clarum in caſtris Gambara Nomen erat.

Sed

Sed mœſtam demum Patriam Pax alma reviſit,
Finivitque ſuam Gambara militiam.
Et clauſo Jani Templo ſimul abdidit arma,
Atque ſuam rediit, Patre vocante, domum;
Conjugioque ſibi Charopinam junxit. Alanc,
Nondum finivit Gambara militiam.

CXXXI.

De Eâdem.

Artem præclaram diſcit Charopina, ſed illi
Ars ea ſtat magno; nam vapulat, atque Magiſtro
Sæpe ſuo pœnas dat. Quisnam eſt ille Magiſter,
Cui toties meritas dat pœnas illa? Maritus.
Quid docet hic, vel quid diſcit Charopina? tacere.

CXXXII.

De Ejuſdem, triennio poſt nuptias, mortuæ Sepulchro.

Ad Spectatorem.

Gambara vir bonus eſt, nihil ambige; condidit iſthoc
Namq; Suam Tumulo Gambara Nequitiam.

CXXXIII.

Ad Alianum.

Fallacem dicis Mundum: non improbo dictum;
Sed quantum tandem fallere poſſe putas?

Falli-

Fallimur à nobis : nec agit, mihi credito, ſemper
Unusquisque bonâ ſecum, Aliane, fide.
Sit tibi ſit Lex hæc : Ignotis fidere rarò ;
Notis non nimiùm ; nil, Aliane, Tibi.

CXXXIV.

De Marco.

Ad Diaulum.

Ægroto Medicus præſcripſit pharmaca Marco,
Viſa ſed Uxori ſunt pretioſa nimis.
Ergo tenax mulier dum negligit omnia, Marcus
Debuit auxilio deficiente mori.
Hiſtoriæ fiunt Veterum figmenta Diaule,
Quæ Marco rupit ſtamina, PARCA fuit.

CXXXV.

S. Andragaſina ſervandæ Virginitati fœdiſſimam à Deo lepram impetrat.

Sur. T. 1.

Conjugio lepram præfert pia Virgo : manetque
Tantò munda magis, quò ſcabioſa magis.

CXXXVI.

Ad Fabianum.

Bambo chiragricus, atque podagricus, arthriticusque eſt,
Et hernioſus inſuper, leproſusque,
Et centum afflictus morbis, quos dicere nolo,
(Cunctos profari namque ne quidem fas ſit)
Et

Et tamen hic chiragricus, atque podagricus, atque
Arthriticus, & leproſus, & tot afflictus
Morbis, quique nihil, quàm volvere mente Sepulchrum,
Celeremq; mortem, & propera fata deberet,
Hic, inquam, hic talis lacerat mea carmina, meq;
Calumniatur, lividoque proſcindit
Dente, nihil læſus. Fabiane, quid imprecer illi?
Imprecor, ut annos plurimos adhuc vivat.

CXXXVII.

Barbara Imperatrix, Sigismundi Cæſaris Conjux, Stultas vocabat Virgines, quæ illibatum florem ſervarent; negabatq; aliam, poſt hanc, Vitam eſſe.

Virginitatis honor conſtans, & vita futura,
Ridenda ſunt deliria;
Sic ſibi perſuadet, creditque, ac credere cunctos
Vult IMPERATRIX BARBARA.

CXXXVIII.

De Haſtone.

Condidit Haſto librum; ſed cùm mandante Sabino
Cenſuram ſubiit, condidit Haſto librum.

CXXXIX.

CXXXIX.

Pollio ex Jurisprudentia Studioſo Coquus.

Juridicis operam navavit, denique factus
Non Juris Doctor, ſed juris Pollio Coctor.

CXL.

Ad Momum.

Eſſe malum crebrò me dicis, Mome, Poëtam;
Approbo judicium, nec ſine laude, tuum.
Nam rem tu loqueris, nec palpum obtrudis; & æquâ,
Si quod pondus habent, omnia lance probas.
Livor abeſt, oculis tu reſpicis omnia rectis,
Et quæcunque mones, cum ratione mones;
Præcipitasque nihil, ſed cuncta ſuis momentis
Exigis. O quàm ſum, Mome, Poëta malus!

EPI-

Digitized by Google

EPIGRAMMATUM LIBER TERTIUS.

I.

De LEOPOLDO Primo, Romanorum Imperatore Felice. &c. Ad Glorioſiſſimam Domum Auſtriacam.

AUſtria! prima Tibi poſt Bellum cura ſit: ut, dum
Pax floret, nova plantentur Laureta; recentes
Ut quondam poſſint frondes decerpere Nati;
Nam quæ reſtabant, Victor Pater abſtulit omnes.

II.

Ad Sereniſſimum EMANUELEM, Electorem Bavarum, cùm Albam Græcam breviculo tempore vi cepiſſet.

Albam cepiſti; vitio ſed neſcio cujus
Perdita poſt, Virtus quam tua cepit, erat,
Quis jam quis rurſus capiet? Tu; Cui capere urbes
Tam facile eſt, aliis perdere quàm facile.

III.

III.

Idem Sereniſſimus Elector in Mohazenſi prælio cum Alâ tantummodò ſiniſtrâ ingentem Turcarum exercitum fundit, fugatq́ʒ.

Dicite nunc Thraces! quoniam vos Ala cecîdit
Unica; quæ fuit hæc Ala? ſiniſtra fuit.

IV.

Ad Fortiſſimum Heroëm, Ludovicum Principem, Marchionem Badenſem.

Dum Turcam exagitas, Patriam tibi Gallia vaſtat;
Tanti erat, invicti Cæſaris arma ſequi.
Urbs abit in fumos, ſed non tua Gloria: plus hæc
Fulſit, & hoſtili clarior igne fuit.
Et clarebit adhuc; etiamnum Rudera clamant;
Crudelis ne ſtet Turca, Badena jacet.

V.

De Eodem Sereniſſimo Principe, cùm Tekelium è Tranſilvaniâ fugaret.

Tekelius gerit arma, gerit Ludovicus, uterq;
Impiger: Iſte manu promptus, & Ille pede.

VI.

Digitized by Google

VI.

De Cellione.

Ad Aulum.

Qualis tempeſtas fuerit, cum Cellio nuper
Sub Dio ad populum diceret? Aule rogas:
Ne te detineam, breviter reſpondeo: quando
Ad populum dixit Cellio, *frigus* erat.

VII.

De Tito.

Cauſidicus Titus eſt, ſed lentus nequiter, & qui
Intricat liquidas longo molimine cauſas,
Ut ſuſpenſa diu nequeat Sententia ferri,
Dum tendit, litemq; trahit ſine fine. Clientum
Interea tacite loculos eviſcerat, atq;
Dum cauſæ pendent, ipſus pendere meretur.

VIII.

Ad Pontilianum febricitantem.

Quartanam pateris, frigesq; calesq; viciſſim;
Quàm ſimilis Libro es, Pontiliane, meo!

IX.

De Hirrone.

Quæſiit ex Hirrone parens: ſtudiisné vacaret
Aſſidue? aſſidue, dixerat Hirro, *vaco*.

X.

X.

De Ollo.

Alchimiæ, ut vocant, Studioſo.

Rex Præfecturam nuper promiſerat Ollo,
Ollo, qui *modicæ conditionis* homo eſt.
Sed Præfecturam, quam Spe jam devorat ille,
Non niſi Rex iſthâc *conditione* dabit:
Si verum efficiat, veluti jactaverat, aurum.
Ollus *non modicæ conditionis* homo eſt.

XI.

Sutor, & Sartor.

Sarcit hic, ille ſuit; ſcaber eſt hic, ſordidus ille;
Ambo aliquid referunt, hic ſuis, ille Suis.

XII.

De Hippone.

Paraſitus Hippo eſt: & tamen ſemper domi
Cœnat; ſed Hippo ſcilicet ubiq; eſt domi.

XIII.

Ad Paulum.

Diſcipulum, quem Paule doces, ais eſſe Stolonem,
Et *vacuum cerebro* dicis habere *caput*.
Dic, rogo, dic Sodes: in quem convitia jactas?
An non *Præceptor Diſcipuli caput* eſt?

XIV.

XIV.

Ad Pompilianum.

Qui Muſis hucusque bonis operatus es, Arma
Vis, ut narratur, Pompiliane, ſequi.
Quid tibi feciſti, quòd te ſic oderis? aut quæ
Sic mentem furiant è Styge monſtra tuam?
Auxilio nullius eges, quia dives es: ergo
Cur ſis alterius, cùm tuus eſſe queas?
Nunc tibi ſervitur, nunc tu dominaris; ad arma
Cum primùm admôris, Pompiliane, manum,
Servus es; eſtque jugum nulli tolerabile, quàm qui
Secum inimicitias, Pompiliane, gerit.
Num prædæ alliciunt? ſed opes ſatis ante redundant;
Num ſtimulat mentem ſanguine partus honos?
Siccine vis paſci vento, & te vendere? dignum
Quis pro te pretium, Pompiliane, dabit?
Ut dignum capias, Tu Te Tibi vende: ſed inquis,
Ipſe mihi pro me quid dabo? Te Tibi da.

XV.

S. Germanus ſibi duriſſimus in Lecto cilicino cineribus aſperſo inter aſſiduos ad Deum gemitus noctu dormiens.

Hen. Mon.

Exilis cibus eſt, & lectus durus & aſper,
Et cinere & fetis inſtratus; ſancta ſoporem

Non longum noctu ſcindunt ſuſpiria. Totâ *Teutoniâ* paucos nunc invenias *Germanos.*

XVI.

De Luperco.

Puniri à Superis propter delicta Lupercus
Se dicit, nimiùm quando Chiragra furit.
Hæc etenim miſerum crebrò, ſed ſola, fatigat,
Colligo, delicti quale genus fuerit.

XVII.

In Nævolum.

Ingenio præſtante tibi tuus eſſe videtur
Filius,& magnam traxiſſe ab Apolline mentem,
Muſarumq; vocas pullum, *Sobolemq; Minervæ.*
Prô, quàm magnificum fingis te, Nævole, mœchum!

XVIII.

De Pamphilio Nobili, & Harbone Ruſtico.

Pamphilius Viduam locupletem duxit, & illam
Diligit, ut vaccam diligit Harbo ſuam.

XIX.

De Othone.

Gymnaſio non eſt jucundior hortus; in illo
Quot pueri, tot ſunt Lilia, totq; Roſæ,
Et tot Narciſci. Sic dicere ſcimus Othonem,
Qui teneræ pueros, ceu pia mater, amat.

Opta-

Optârunt pueri tantis pro laudibus, inter
Tot flores totus naſus ut eſſet Otho.

XX.

De Linâ.

Litigioſa Lina eſt, ſed caſta, Viroque fidelis.
Eſt Lina nempe Viro mala fœmina, ſed bona conjux.

XXI.

Haſto Ludimagiſter.

Quando docet pueros, à Virgis abſtinet Haſto;
Præſtant, quod facerent acria flagra, minæ.
Namque illi vox, ceu tonitru eſt; ceu fulmina, Verba;
Eſtque Supercilium trux, oculiq; truces.
Hinc taciti, trepidique Student, plenique timore.
Haſto diſcipulos macerat, haud lacerat.

XXII.

De Paulo, & Paulinâ.

Ingenii prompti eſt Paulus, Paulinaque tardi.
Paulus habet cerebrum, ſed habet Paulina cerebrum.

XXIII.

Cùm Author Papilum Venatorem in Sylvâ vidiſſet pulices capientem.

Eſt tibi per Sylvas duplex Venatio, fitque
Præda tibi pulex, & tibi præda lepus.

Quid plus exoptes? cedit tibi Papile totâ
Sic bene Luce labor, ſic bene Nocte quies.

XXIV.

Trojanorum de Equo ligneo in Urbem invehendo ſtultum conſilium.

Troja ſtat incolumis, Ratio dum regnat; at ecce
Quando perit Ratio, * tunc quoque Troja * perit.
* ἀναγραμματικῶς.

XXV.

Ad Meliſſam

Sanctimonialem, cùm ab hoſtium incurſu pulſa Monaſterio eſſet, &c.

Pauperiem quereris, quia ſuſtulit omnia Mavors;
Divitias nôſti non ſatis ipſa tuas.
Si comes exilii Virtus eſt, quæſo, quid ultra
Jam cupias? nunquid ſatque ſuperque tibi eſt?
Adde, quòd es locuples divino Numine: cui non
Divinum ſatis eſt Numen, avarus homo eſt.

XXVI.

De Lino.

Nocte, dieq; bibens nummos deperdidit omnes;
Ebrius eſt Stomachus, ſobria bulga Lino.

XXVII.

XXVII.

De Arnone.

Ad Firmicum.

Uxorem duxit lepidiſſimus Arno protervam;
Nullus menſis abit Firmice, nulla dies,
Quin millena ferox convitia jactet in illum,
Et quodcunque procax ſuggerit ira malum.
Quid cenſes agit hæc ille inter jurgia? ridet,
Et miſcet faciles cum ſale ſæpe jocos;
Atque perorantis vocem collaudat, & artem,
Dum demum rabidus ceu canis illa furat.
Sic agit, ulciſci cùm ſe vult leniter Arno;
Multatam graviùs ſi velit eſſe, tacet.

XXVIII.

In Theodorum, ſtolidum homuncionem.

Effigiem, Theodore, tuam Carbellio pinxit;
Hanc cùm miſiſſes nuper mihi, vivere viſa eſt;
Artificiſque manum miratus cuncta probavi,
Præterquam quòd non ſat longas pinxerit aures.

XXIX.

Epitaphium Gaſparis Summeni Medicinæ Doctoris Clariſſimi, ætatis centum & quatuor annorum.

Hic ſitus eſt Parcis Vir formidabilis, & quem
Tangere mors jaculo non fuit auſa ſuo;

Tanta erat Ars Medici ! demum exſuperante Senectâ,
Quando mori nequiit, vivere deſierat.

XXX.

De Sexto.

Ardenti podagrâ Sextus vexatur; aitque,
Torqueri nimio ſæpe dolore pedes.
Ceſſabit ſentire, nimis cùm ſenſerit; omnis
Namque dolor tandem fit medicina ſui.
Cumque furit nimiùm, ſeſe ipſo oppreſſus hebeſcit,
Nec nimius dolor eſt, cùm nimius dolor eſt.

XXXI.

Ad Phormionem, Philoſophum pauperculum.

Te frueris, totisque tibi es ſatis ipſe diebus;
Sic me Numen amet ! Phormio, lautus homo es.

XXXII.

De Hannone.

Vix quatuor menſes Medicinã exercuit Hanno,
Cum Pluto Stygiis curſorem miſit ab undis,
Quæſitum: Superâ num peſtis regnet in orâ ?

XXXIII.

De Baccarâ.

Eſſe ſecuturum veteres ſe Baccara mores
Dixerat; hinc ſi quid credidit eſſe novum,

Illicò

Illicò diſplicuit. Poſt longas ergo ſequelas,
Dum Veterum mores, ſæclaq; priſca crepat,
Infelix aliquid Veterum de nomine ſaltem
Obtinuit: factus nam Veterator erat.

XXXIV.

Ad Amyntam Spurium.

Ne geme, vulgari quòd ſis ex matre creatus;
Unio ſi probus eſt, concham quis curat Amynta?

XXXV.

De Afro.

Stupenda, de ſe dixit Afer, eſt mihi
Memoria; reſpondit ſtatim Echo: moria.

XXXVI.

In Bennonem improbè literis incubantem.

Benno libros unam ſaltem dimiſit ad horam,
Vultque ſemel Cœlo liberiore frui.
O ſcelus! ô ipſâ peccatum morte luendum!
Ocyus î lictor, vincla, crucemque para.
Pendeat infamis! quid fecit? pendeat, inquam,
In cruce! furatus Se Sibi Benno fuit.

XXXVII.

De Isbo.

Isbus dimidio truncatus ab Hectore naſo eſt,
Et naſutus adhuc eſt tamen Isbus homo.

XXXVIII.

De Frontone.

Scribit Fronto libros, compilans omnia: non eſt
Author librorum dicendus Fronto, ſed auctor.

XXXIX.

De Berthâ.
Ad Theleſinum.

Vexata à ſævo multùm pia Bertha marito eſt,
Plus quàm barbaricum ferre coacta jugum.
Mortuus is nunc eſt; ſed quod, Theleſine, ſtupeſcas,
Gaudet, ſe talem Bertha *habuiſſe* virum.

XL.

B. Virgo Horologium Achaz. S. Antonin. Tit. 15. c. 19.

Cœlóne Solem currere, an ſtare autumem?
Quocunque veniam tempore, hoc Horologium
Horam Secundam ſemper indicat mihi.

XLI.

Darius, Xerxis pater, dicebat: in prælijs eſſe ſe ſolito prudentiorem. Plutarchus in Apoph.

Darius ipſo in prælio, & periculis,
Atque inter hoſtes eſſe ſe ſolito putat
Prudentiorem. Nempe tunc *ictus ſapit*.

XLII.

XLII.

De Gajo, & Rufâ.

Gajus promiſit, quòd vellet ducere, Rufam,
Rufáq; gauiſa eſt; ſed deniq; ſenſit ab illo
Se ſe *deluſam;* nam quando, ducere, dixit,
Hâc is mente fuit, quod vellet *ducere naſo.*

XLIII.

Vinea Colenda.

Vinea capreolum poſcit; ſi ſubtrahis illi
Capreolum, multum dat tibi capreolum.

XLIV.

Deſcendant in Infernum viventes.

Pſ. 54.

Ad Styga quæ ducit, via te quoq; ducit ad Aſtra;
Ut Superos adeas, infera Regna pete.

XLV.

Ad Poſthumum.

Facundi, *bronciq;* tibi ſunt, Poſthume, Nati;
Hinc multa è *Roſtris* dicere verba ſolent.

XLVI.

Ad Paulum.

Contemnis Patriam, quòd ſit tam vilis; & optas,
Eſſes ut natus nobiliore loco.

Non contemnenda eſt, neq; Patria vilis habenda,
In quâ, Paule, licet civibus, eſſe bonis.

XLVII.

De Aulâ.

Ad Celerem.

Quænam eſſet Aula veſtibus tam ſplendidis
Induta? nuper quæſiit Calliſtratus:
Mox Harbo, quem noſti Celer (dicere volens
Plebeia) mulier, dixerat, communis eſt.

XLVIII.

Scipio Africanus ante primum diluculum ad Cellam Jovis in Capitolio ventitare conſueverat, obſtupeſcentibus æditúis, eum à canibus in alios ſemper ſævientibus, id temporis nunquam allatrari, aut incurri. Gellius l. 7. Noct. Attic. c. 1.

Nec latrare ferox, nec ut antè incurrere mordax
Aſſolet, objicitur SCIPIO quando cani.

XLIX.

Puero Claudo peſtis ſic neruos laxavit, ut poſthac rectè incederet. Beniven. c. 15.

In Tigillionem agyrtam imperitum.

Peſtis agit Medicum, Medicusq; Tigillio peſtem.

L.

L.

Ad Firmionem, Aulicum.

Virtus te clarum faciat, non gratia Regis;
Ex te, quo niteas, Firmio, poſce decus;
Illuſtriſq; tuo ſis lumine, non alieno;
Cynthia non ſit, qui Cynthius eſſe poteſt.

LI.

De Paulâ.

Non nitida eſt, imò immunda eſt ac ſordida; conſtans
Sed tamen, ac ſemper Paula *ſui* ſimilis.

LII.

Diſcipuli S. Babylæ Epiſcopi Martyrio coronantur, tot plagis affecti, quot annos nati.

Ad Rufum.

Menſura ætatis facta eſt menſura doloris;
Dî numerent annos ſic tibi, Rufe, tuos?

LIII.

Ad Julianum.

Eſt aliquis, mea qui laudat mihi carmina: quare?
Edere & ipſe brevî vult ſua metra typis.

LIV.

In Paulum.

Crebrò Paule mihi, dominari te tibi, dicis;
Prô, quàm mentitur, Paule, tuus dominus!

LV.

De Lycori.

Ad Claſſicum.

Cùm Sociâ exierat, rediit ſed ſola Lycoris.
Quod Sociæ nomen? Claſſice, Virginitas.

LVI.

Ad Sabinam.

Quòd pia tam tenero Nati capiaris amore,
Laudo, ſi prudens eſt in amore modus.
In pietate Scelus ſæpe eſt: damnabile crimen
Eſſe puta, nimiâ ſi bonitate mala es.
Eſſe bonam matrem, res eſt pulcherrima: verùm
Non bona ſemper erit, quæ bona ſemper erit.

LVII.

De Ballione.

Ad Dindymum.

Eſſe videbatur tibi, Dindyme, Ballio Græcus;
Miratiq; ſumus, credidimusq; tibi.
Ergo loqui juſſus vix cœperat, hæſerat; & qui
Viſus erat Græcus, Dindyme, Gracus erat.

LVIII.

LVIII.

In Baſſum.

Si plus, quàm ſatis eſt, avido bibis ore Falerni,
Nil eſt, quòd tunc non, ebrie Baſſe, ſcias.
Pictor es, & Sculptor: nil ſunt tibi Xeuxidis Vuæ,
Parrhaſii Velum, Praxitelisq; Venus.
Tu facis hæc meliùs, nec ſolùm hæc talia; verùm
Communis quæ plus utilitatis habent.
Publica nam tractas, atq; ex Pictore Senator
Et Belli & Pacis munia, Baſſe, geris.
Deniq; quæ nunquam tentâſti perficis; atq;
Si multum potes, omnia Baſſe potes.

LIX.

Ad Ottilonem Priſcum.

Furem te dixi, mox Ottilo Priſce furebas;
Quod dixi, rurſus dico: fur, Ottilo, fur es.
Non ignoro, fures, iterum; ſed nil moror, & ſi
Ottilo Priſce fures, fur es tamen, Ottilo, fur es.

LX.

In Harpum.

Formoſam duxit nuper Linus, Harpe, maritam,
Et cui conferri nulla puella queat.
Sed tu clauſa domûs cùm primùm limina pulſas,
Non tam formoſam mallet habere Linus.

LXI.

Bambus pauperculus.

Cùm Bruma ſævit, Bambus ſe tegit *billo*;
Si nil remittit, inſuper bibit *billum.*

LXII.

Ad Fauſtinum.

Sæpe rogas, quâ ſis naturâ, & moribus? in te
Naturam exercet beſtia multa ſuam.
Simia mente ſedet, virus dat Vipera linguæ,
Miluus ineſt oculis, Accipiter manibus,
Porca gulam, ſtomachumq; Lupus curare videntur,
Eſt in corde Lepus, regnat in ore Leo.
Et, ne quid ſileam, circum præcordia quanquam
Eſt aliquid Vulpis, plus tamen eſt Aſini.

LXIII.

Ad Linum Febricitantem.

Non eſt prudentis, querulum nimis eſſe: febrilis
Æſtu ſi nimio te, Line, flamma coquit,
Erige pauliſper mentem, teq; altior ipſo
Utile, quod carnem macerat, eſſe puta.
Interea pectus firmet Patientia, ſic tu
Non equidem incolumis, ſed, Line, *Sanus* eris.

LXIV.

LXIV.

Craſſus Brutus Romæ proditor.

Plutarch. Ad Pamphilum.

Succenſes Craſſo *BRUTO*, quia prodidit Urbem;
Ne ſtomachare nimis: fors & tu proditor eſſes,
Aut aliquid pejus, fieres ſi, Pamphile, *BRUTUS*.

LXV.

Ad Attalum.

Non mea ſunt privata magis, quàm publica; Solem
Aſpice, tam meus eſt, quàm ſua cuiq; domus.
Tu commune vocas, quod ad omnes pertinet; atq;
Non credis, quenquam dicere poſſe ſuum.
Communis Deus eſt, tamen & tuus Attale totus:
Sed num propterea deſinit eſſe meus?
Et meus, & tuus eſt. Imitabimur Attale: poſthac
Sis tuus atq; meus, ſim meus atq; tuus.

LXVI.

De Dentone.

Colit Poëſin Dento; quæq; componit,
Suo Magiſtro reddit; hic ſuum munus
Obit ſeverè, ac ſeriò exigit penſum,
Rigideq; cenſet. Satagit interim Dento,
Quod petitur, agere gnaviter; & herî primùm
Epigramma varium dederat, haud parum *argutus*,

LXVII.

De Canio nephritico.
Ad Paulum.

Sapitné, Paule, Canjus noſter? ſuos
Vocare Renes is ſolet Arithmeticos.
Nam quidquid, inquit, comedo, vel quidquid bibo,
Revocare cuncta mox ſolent ad *calculum*.

LXVIII.

Ad Parthenianum.

Dî tibi dent mentem conantem grandia, quæq;
Non eviliſcat, Partheniane, ſibi.
Et quæ conſtanti nutrita labore, laboris
Non aliud pretium delicioſa petat,
Quàm guſtum Virtutis; & hanc præponere Regnis,
Et Regum Titulis, Divitiiſq; velit;
Emineatq;, videns infra ſe cuncta; nec unquam
(Ægra etiam forſan ſi jaceat) jaceat.

LXIX.

Ad Calvum.

Cur tua devitent homines commercia, quæris?
Calves; caluentes caluere, Calve, ſolent.

LXX.

LXX.

In Cæcilianum.

Damnas, aut ſaltem ſimulas damnare libellum,
Quem vulgaviſti, Cæciliane, typis.
At ſimul excuſas: te feſtinâſſe, nimisq;
Edita metra brevi compoſuiſſe morâ.
Hinc inculta vocas; cumq; illis ultima lima
Deſit, Lectori poſſe placere negas.
Cur vulgaviſti? quis te, dic, oro, coëgit?
Manſiſſes melius, Cæciliane, domi.
Ante tamen, quàm vulgares, placuiſſe cuidam,
Fors non ex vanâ ſuſpicione putem.
Cui? dicis: nec enim nobis vis credere quidquam,
Illum nî videas. Ergo opus eſt ſpeculo.

LXXI.

De Syro.
Ad Caſtricum.

Deformis Syrus eſt, ſed dives, munificusq;
Atq; animo probus, & Germano pectore plenus.
Hunc tu ſi quando tibi conciliabis amicum,
Partem animæ tribuet; partem? quin, Caſtrice, totum
Se tibi donabit. Tunc admiraberis, & quas
Nos canimus laudes, uſu firmabis ab ipſo,
Deformiq; Syro dices nil pulchrius eſſe.

LXXII.

LXXII.

Ad Sorbilianum.

Non eſt flagitium, quod ſe non oderit; illi
 Solus homo pretium, Sorbiliane, facit.
Et tamen ipſe ſibi gratìs peccâſſe videtur,
 Si factum nullo conſtitit ære ſcelus.
Qui pro flagitio ſe ſe ipſum impendit, & inquit,
 Gratis peccavi: nil, ait is, valeo.

LXXIII.

De Harbone,

Mon cœur, mio cor &c.

Uxorem, cùm blanditur, vocat, Harbo *ſuum Cor*,
 Quæ multas fundit nocte dieq; preces.
Nam vult ſacrilego Numen placare marito,
 Ad Styga feſtino quem videt ire gradu;
Utpote quo nihil eſt uſquam Sceleratius, etſi
 Toto *Corde ſuo* diligat ille Deum.

LXXIV.

Ad Linum Judicem.

Cùm, Line, ſis Judex, crebrò te dona Reorum
 Fortiter oppugnant, & quaſi bella gerunt.
Marte ſed æquali ſemper decernitis, atq;
 Dona ut te capiunt, ſic, Line, dona capis.

LXXV.

Ad Ollum.

Amittis, quæ quis tibi commodat Olle; neceſſe
eſt Hinc

Hinc pretium amiſſæ ſoluere ſæpe rei.
Multum, crede mihi, multum tibi commodat Olle,
Qui tibi, quandò rogas, commodat, Olle, nihil.

LXXVI.

De Taſſone. Ad Chœrilum.

Turbida Taſſoni facies, ſed limpida mens eſt;
Nubila frons, Animus ſed ſine nube micans.
Os toruum, ſed mella loquens, nectarq; propinans;
Trux oculus, naris panda, ſed absq; minis.
Chœrile, quid cenſes, qualis tibi Taſſo videtur?
Nunquid non pugnans, diſſimilisq; ſibi?
Sic eſt: ſed quamvis non ſit ſimilis ſibi Taſſo,
Eſt tamen eſt ſemper Taſſo ſibi ſimilis.

LXXVII.

S. Pelagia pœnitens, ne quis porrò in Solitudine pudori ſtruat inſidias, amictu virili ſexum diſſimulans Pelagium ſe vocitat. In vit. P P.

Pelagia dicta eſt: dicitur nunc Pelagius;
Meritonè? certè: quippe, quod nemo neget,
Vbi tam virilis animus imperium tenet,
Plus eſt in illo Pelagii, quàm Pelagiæ.

LXXVIII.

LXXVIII.

Ad Æmilianum caluum.

Deſtituêre tui caput, Æmiliane, capilli;
Quò devenerunt? quóve migrâſſe putas?
Sint, ubicunq; velint; hoc tu conceſſeris ultro,
Quòd nunc, quàm fuerint, ſint meliore loco.

LXXIX.

Ad Baſſum.

Cùm everſis opibus animum dejiceret.

Quòd dat, non donat Fortuna, ſed elocat; hinc eſt,
Tam citò cur repetat, quod tibi Baſſe dedit.
Attamen Uſuram tecum illa exercet iniquam,
Dum præter Sortem te quoq;, Baſſe, capit.

LXXX.

De Jopâ.

Perfugii reus ad Furcam jam ſtabat Jopas,
Atq; moras traxit Lictor: ſic namq; jubebat
Gambara, Dux Belli. Miſerum nam plectere Vitâ,
Mens nunquam fuit, at longo mactare timore.
Neſcius ergo ſui, plenusq; pavore, diuq;
Suſpenſus fuerat, ſed non ſuſpenſus Jopas.

LXXXI.

LXXXI.

Ad Linum.

Quæ, Line, feciſti, recreant epigrammata Paulum,
Sic ipſus dicit; non tamen illa legit,
Nec recreant illum, niſi tunc, quando æſtuat æther,
Atque fatiſcentes Sirius urit agros.

LXXXII.

Ad Parthenopæum bis ad incitas redactum.

Sors bona te fugit, rediit ſed poſtea; tuque,
Quàm ſteteris, ſteteras tunc meliore loco.
Quo nunc ſtas? nam te rurſus, penitusque reliquit;
Quo-ſtes-cunque loco, Parthenopæe, jaces.

LXXXIII.

In Æliam, mundum muliebrem certis per annum feſtivitatibus à Judæis mutuantem.

Nigra & deformis, pauperque eſt Ælia; verùm
Ceruſſâ faciem pingere ſtulta ſolet,
Inſuper & gemmis alienis comere, & auro;
Queis veluti ſtellam ſe radiare putans
Phœben ſe vocitat. Quaſi diceret Ælia: lucem
Non habeo propriam, ſed proprias maculas.

LXXXIV.

De Aſtyanacte.

Candidus, Aſtyanax vult, ſyncerusque videri;
Quæque facit, dicit ſe facere Ex animo.
Perpetuo hoc loquitur; quare ſi fortè quis oret
Obſequium: faciam, mox ait, Ex animo.
Hauſtum propinans, nil ſuevit dicere, tantum
Oſtendit vitrum, & ſubjicit: Ex animo.
Obvius in plateâ, capite innuit; atque Salutem
Dicturus, dicit more ſuo: Ex animo.
Hoc decies repetit, quoties me convenit; atque
Dum toties repetit, me, repetendo, necat.
Eſtque perinde (ſuum ſi pergat porrò crepare
Ex Animo) quaſi ſi diceret: Exanimo.

LXXXV.

Ad Fidentinum.

Rex es, ſi bona mens te Fidentine *coronat.*
Sique verecundus pudor eſt quaſi *Purpura*, ſique
Illimis Ratio *Sceptrum*, quo cuncta gubernes,
Firmaque pax animi *Solium*, Fortuna *Scabellum* eſt.

LXXXVI.

De Paulo Scævâ.

Ad Theleſinum.

Quid tandem hoc monſtri eſt? Paulus, Theleſine, ſiniſtrâ

Dicitur eſſe manu dexter, dextrâque ſiniſter,
Atque rogare Deum: veniens ſi ſeparet olim
Agnos atque hædos, miſerum ſe collocet illâ,
Non quâ ſit dexter, ſed quâ ſit parte ſiniſter.

LXXXVII.

De Haddone.

Haddo gravis vultu, & toto ſpectabilis ore eſt;
Sed nihil ingenio, judicioq; valet.
Et tamen is ſapiens nulli non eſſe videtur.
Quæris, quâ fiant hæc ratione? tacet.
Ipſe ſibi legem hanc tulit, & cuſtodit ad unguē.
Multum Haddo ingenio, judicioque valet.

LXXXVIII.

Tempore accepto exaudivi te, & in die Salutis adjuvi te. Iſ. c. 49.

Funde preces, fuſas Deus audiet, atque juvabit;
Audivi,* adjuvi, res Superis eadem eſt.
** ἀναγραμματικῶς.*

LXXXIX.

Ad Hyantulum.

Conſilium ſequeris nullius Hyantule, ne ſis
Scilicet alterius, cùm tuus eſſe queas.
Imò conſilium ſi quis det, Hyantule, prudens,
Eſſe tuus noli, ſi tuus eſſe velis.

XC.

XC.

De Alanâ,

Se putat ægrotam, cum non ægrotat Alana,
Et nunc Splen illi, Corque, Caputque dolent;
Nunc Venter, Pectusque tument; nunc Viſcera torpent;
Nunc urit tenerum bilis amara Jecur;
Nunc oculos, & nunc vehemens dolor inſidet aures;
Nunc queritur Stomachi tormina mille ſui;
Hinc *cibus & potus* jam *non ſapit* amplius ullus,
O quàm ſunt ſimiles *Potus, Alana, Cibus!*

XCI.

Ad Bæticum.

Carmina multa mihi miſiſti Bætice, & uno
Omnia te dicis compoſuiſſe die;
Judiciumque meum ſuper illis exigis. Uno
Omnia te dico compoſuiſſe die.

XCII.

Huſſo ex Curatore Caprarius.

Oeconomus fuerat ſpatio vix Huſſo trimeſtri,
Procurans Domini prædia multa ſui.
Cùm mox allexit, fecitque occaſio furem,
Et piceas Huſſo cœpit habere manus.
Sed nequiit Dominum fraus inconſulta latere;
Ergo ſuâ furem juſſit abeſſe domo.
Officio pulſus paſcit nunc ille capellas,
Atque eſt ægonomus, qui fuit œconomus.

XCIII.

XCIII.

De Hirrone.

Hirro valet bellè, bellè valet Hirro; ſed etſi
Hirro valet bellè, nil tamen Hirro valet.

XCIV.

Ad Poſthumianum.

Dilapidas tempus fulvo pretioſius auro,
Comburiſque bonos, Poſthumiane, dies.
Indulgenſque tibi, deſideriiſque relaxans
Fræna, vacas genio, ſed ſine lege, tuo.
Quæque libent, eadem credis tibi cuncta licere,
Et libertatem, Poſthumiane, vocas.
Non hæc libertas, non eſt, mihi credito, non eſt;
Crudelem Dominum, qui Sibi ſervit, habet.

XCV.

Ad Lectores.

Cur mea tam paucos laudent epigrammata, ſi quis
Fortè velit cauſam noſcere, cœno domi.

XCVI.

Ad Rufum.

Rufe tibi videor deſes, piger, atque ſupinus,
Et ceſſator iners, atque nihil facere.
Multum imò facio noctuque diuque; quid, inquis,
Nocte dieque facis? te nihili facio.

XCVII.

Abbas Soranus, Martyr, dum gladio confoſſus humi cadit, ſubitus terræ motus exortus eſt.

Dum Sorane cadis, tremefacta eſt terra; Tuarum
Credo ego, Virtutum tam grave pondus erat.

XCVIII.

Damnati ad Orcum.

Ardent in tenebris, ſceleri ne pœna ſit impar;
Nam combuſſerunt, quos habuêre, dies.

XCIX.

In Labienum.

Diſcipulum, Labiene, bonum te dicis habere,
Summoque Ingenio, Judicioque pari,
Cunctiſque ornatum Naturæ dotibus. Ergo
Diſcipuli miſeret me, Labiene, tui.

C.

De Oddone.

Antè fuiſſe malum ſeſe ipſemet Oddo fatetur,
Pòſt verò factum ſe putat eſſe bonum.
Quis credat? ſeu pòſt, ſive antè aſpexeris illum,
Antè & pòſt idem, qui fuit, ODDO manet.

CI.

CI.

Lites forenſes.

Pollio propter agrum lites intendit Othoni;
Verùm, Cæcilio Judice, vicit Otho.
Contra jus & fas ſed agi clamavit, & eſſe
Jure ſuum victus Pollio dixit agrum.
Quiſque igitur ſervet, quod habet, reſponderat Alter:
Sic tibi plus Juris, plus mihi Ruris erit.

CII.

Ad Paulum.

Quòd, quem foviſti, promoviſtiq; clientem,
Ingratus famam denigret ille tuam,
Teque premat, centumque in te convitia jactet,
Res eſt fœda, novam non tamen eſſe puta.
Fumus ut aſſurgat, præſtabit, Paule, caminus,
Sed niger à fumo, Paule, caminus erit.

CIII.

De Cotta Scholaſtico.

An ſe collaudat? cùm dicit Cotta: Magiſtrum
Se ſolo *excepto*, fuſtem omnibus eſſe minatum.

CIV.

Ad Cæcilianum.

Diceris uxorem meditari; Seria res eſt,
Nec niſi conſulto ſuſcipienda Deo.
Fac ſit Rivalis: nunquid non diliget ille
Tunc etiam, cùm jam Cæciliane tua eſt?

Quæ nec diligitur, nec quenquam diligit, illam
Tutiùs accipies, cum ratione tamen.
An ſit forma decens, an dos præſtabilis, inter
Ultima pone. Priùs Cæciliane vide:
Num pia, num prudens, num caſtis moribus, & quæ
Inſtar Limacis gaudeat eſſe domi.
Talis nî Tua ſit, quam duces: ſit Tua quamvis,
Non eſt, crede mihi, Cæciliane Tua.

CV.

Ad Simplicianum Phyllidis & Melibæi filium.

Te peperit Phyllis, paſcens in monte capellas.
Non humili natus, Simpliciane, loco es.

CVI.

In Poſthumum, Alchimiæ, ut vocant, operam dantem.

E fornace tuâ genuinum profluit aurum,
Quod tu, ſic narrat Papilus, arte facis.
Quo ſumptu? lucróve? pari ſtant utraq; ſumâ,
Hoc emere eſt aurum, Poſthume, non facere.

CVII.

De Pontilianâ.
Ad Aulum.

Per fas, perq; nefas nullo diſcrimine recti
Pontiliana ſuas multiplicavit opes.

Sed tandem deprenſa fuit, mulctataq; ; nec jam
Exercere ſuos audes, ut antè, dolos.
Attamen ipſa ſibi fraudi eſt; quodque, Aule, ſtupeſcas,
Tantas inter opes eſurit, atque ſitit.
Namque tenax mulier tantum non impetrat à Se,
Sat ſemel ut comedat, ſat ſemel utvé bibat.
Cumque aliam nequeat fraudem committere, ſaltem
Defraudat genium Pontiliana ſuum.

CVIII.

Lælia Virgo gibboſa Sanctimonialium Cœtui adſcripta.

Ad Nævolum.

Quòd ſe Cœnobio ſacrat, Mundumque relinquit
Lælia, cauſa ſuum, Nævole, *pondus* habet.

CIX.

Ad Linum.

Nulli te præfer, cunctis deferto; ſtupendum eſt,
Quàm bonus ex humili ſurgat odor Violâ.
Ipſum quin etiam tibi te ſubmittito; quanto
Te minor es, tanto te, Line, major eris.

CX.

Ad Ponticum.

Muſis amicus, atque Apollini ſacer

Colit Poëſin Lollus; illum tu interim
Multis fatigas, calamum ut expediat, ſtylumq́;,
Atque ut relinquat Poſteris aliquid *Sui.*
Librum ergo ſcribit; ſed in eo nihil, niſi
Res inficetas atque frigidos jocos,
Plenosq́ue ruris putidiſſimi leges.
Tam *ſtulta* ſi ſint, publicis cur dat typis?
Pontice, relinquit Poſteris aliquid *Sui.*

CXI.

Ad Linum, Epigrammatographum.

Ut recreet doctas, ſtringatq́ue, ac mulceat aures,
Sitq́ue epigramma bonum, ſatis haud eſt, ſi ſit acutum;
Cùm furit acris hyems, etiam, Line, frigus acutum eſt.

CXII.

Ad Naſidienum.

Cædere dum baculo Staphilum volo, fuſtis aberrat,
Inque tuum fertur, Naſidiene, caput.
Nil nocui: ſed tu nimiùm quereris q́;, furis q́;;
Atque coquit mentem plùs ſatis ira tuam;
Et mihi neſcio quas Diras, mortemq́; precaris.
Gratulor errori, Naſidiene, meo.

CXIII.

De Caja.

Caja tenax geſtat laceras in corpore veſtes,
Et patitur, quamvis non ſit egena, famem.

Inſuper

Inſuper & lecto parcens in ſtramine dormit,
Ne forſan vitium candida pluma trahat.
Nec tamen eſt illi, propter quem parca ſit, heres.
Digna eſt, ut nunquam deſinat eſſe tenax.

CXIV.

Ad Hannonem.

Si quid agis Hanno, laude quod dignum putas,
Ne ſponte lauda: quippe Virtus non eget
Thraſone. Sed nec nundinas obit, velut
Agyrta, pretium mercibus faciens ſuis
Clamando. Nimirum ipſa ſufficit ſibi.
Loquere ergo ſemper, imò de rebus tuis
Senti modeſtè ſemper, & parvum puta,
Magnum videri fortè quod meritò queat.
Multùm placebis omnibus, ſi nil tibi.

CXV.

De Naſone Viduo. Ad Marcum,

Conjuge defunctâ non ducit Naſo ſecundam;
Cauſam Marce rogas? Iſta ſecunda fuit.

CXVI.

Ad Rufinum Religioſum.

Sæpe magis laxos optans, Rufine, penates
Te nimis anguſtam dicis habere domum.
Relligioſus homo ſua commoda non ſectatur,
Huic caſa; Virtutem quæ capit, ampla ſat eſt.
Imò finge caſam, Tectum finge omne deeſſe,
Tunc intra ſe habitans ipſe ſibi domus eſt.

CXVII.

De Pantagatho.

Ad Maximum.

Maxíme, Pantagathus ſublimes ambit honores,
Sed non conſequitur; tamen à te poſſe juvari
Se videt; inde tuos captat ſine fine favores,
Blanditúrq; tibi, & verum te dicit Amicum,
Nullúmq; è cunctis ſic prenſat. Ab arbore Mopſus
Carpere poma volens ſcalam ſic dicat Amicam.

CXVIII.

Ad Cæcilianum.

Carmina vulgâſti nuper; placiturâne? neſcis.
Hinc quid divinem? Cæciliane rogas:
Sunt ex ſucca nimis, planèq; emortua; vitam
Inſpira metris, Cæciliane, tuis.
Aut novus Ezechiel miſerans oſſa arida, clama:
A quatuor Ventis Spiritus alme veni.

CXIX.

De Cajo.

Caius habet plenam nummis fulgentibus arcam,
Plenáq; frumentis horrea, vaſa mero.
Conſtipatq; domum multa & pretioſa ſupellex,
Et cumulat lautum dapſilis eſca penum.
Deniq; ſunt totis plena ædibus omnia, nilq;
Eſt vacuum Caio, ſi caput excipias.

CXX.

CXX.

De Uvone.

Sæpe ſuum nobis Uvonem prædicat Aulus,
Et multâ in cœlum tollere laude ſolet.
Námq; Virum putat eſſe probum, cunctiſq;
placere.
Cunctis ſi placeat, non probus Uvo Vir eſt.

CXXI.

Ad Syrum.

Jocus.

Verba, inquis, faciam, Syre facundiſſime, quando
Ad nos Auſoniâ dicere voce paras.
Erras ô nimium Sodes! nam ſunt, Syre, verba
Uſurpanda magis, non facienda tibi.
Jam factis decet utaris, verbiſq; probatis,
Nî, cùm declamas, barbarus eſſe velis.
Non eſt, crede mihi, non eſt ſatis ille Latinus,
E Roſtris dicens qui, Syre, verba facit.

CXXII.

De Bennone.

Facetiarum Benno ſcitus artifex'
Quæcunq; loquitur, condit admirabili
Urbanitatis gratiâ, & docto ſale,
Totus venuſtis factus ex argutijs;
Sed non perinde fulminans, ac Martius,
Cùm Bella gladium poſtulant. Ad unius

Folij ſtrepentis nocte turbatur ſonum,
Et imminere credit hoſtilem manum,
Treménsq; cunctis artubus timet ſibi,
Merus Domi lepos, merus Bello lepus.

CXXIII.

S. Edmundus pro cilicio togam plumbo contextam induere ſolitus. Sur. Tom. 6.

Aurea vita tibi eſt, toga plumbea Dive; Tuiq;
Mores, quàm veſtis, plus gravitatis habent.

CXXIV.

In Hyllum degenerem.

Hylle tuum Patrem quanquam Sepelivimus, atq;
Solvimus emerito Juſta ſuprema Seni;
Totâ *vivit* adhuc tamen & *floreſcit* in urbe,
Atq; in te ſolo mortuus, Hylle, fuit.

CXXV.

De Alanâ.

Ad Cæcilianum.

Æs, quod contraxit Titus, ut Solvatur Alanæ
Juſſit: non factum eſt; ebria namq; fuit.
Miſit poſt biduum rurſus: fuit ebria; miſit
Sic famulum vicibus, Cæciliane, decem,
Ut redeat, ſemper reſponſum eſt, ſobria ſi ſit.
Æs, quod contraxit, donat Alana Tito.

CXXVI.

CXXVI.

Ad Labienum.

De Frontillone.

Libris, quos ſcripſit, quærit Frontillo Patronum;
Fruſtra: Si Libri ſint, Labiene, boni,
Quippe bonus liber eſt is, qui ſibi ſufficit ipſe,
Patronúsq; ſuus, Præſidiúmq; ſuum eſt.
Quòd ſi non bonus eſt, quamvis ſint mille Patroni,
In tot Patronis nemo Patronus erit.
Hinc meritò dubites, utrum Frontillo requirat
Patronum Libris, an potiùs Loculis.

CXXVII.

Ad Cæcilianum.

Duxiſti uxorem juvenem, ſimul atq; venuſtam,
Multiſq; ambitam, Cæciliane, procis;
Cuiq; admiranda eſt dicendi gratia: quodq;
Debueram primo dicere fortè loco,
Dotatam, atq; ingens argenti pondus habentem.
O quàm me miſeret, Cæciliane, tui!

CXXVIII.

De Noctuâ.

Noctua, quam pullum nido ſum nactus ab ipſo,
Utilis, incautas cùm caperemus aves.

Græci ſunt teſtes, quos viſcus ſæpe tenebat,
Te præſente tuos me ſimulante ſonos.
Non avis es moroſa, velut communiter audis,
Plurimus imò tibi viſus ineſſe lepor.
Jucundus tecum fuerat mihi luſus, & à te,
Quam tibi projeci, ſæpe relata pila eſt.
Nocte vagabaris; per apertam manè feneſtram
Intrâſti, ſolito viſa cubare loco.
Cùm ſtudui, ſocius juxta me Bubo ſedebas,
Addantur Clypeus, Lancea: Pallas eram.

CXXIX.

Ad Avitum.

Diſtortis oculis, naſóq;, labrôq; retuſo es.
Multum habet ingenij Vultus, Avite, tui.

CXXX.

De Hylâ.

Ambitioſus Hylas ita dicere ſæpe ſolebat:
Quam ſ m plebeiæ conditionis homo!
Quæ me, quæ ſupra populum Fortuna levabit!
O ſi me Vulgo Marſpiter eriperet!
Atq; adiji Bellum. Modico poſt tempore telis
Confoſſum Vulgo Marſpiter eripuit.

CXXXI.

Ad Amicum convivantem.

Si fueris conviva, gulam frænare memento,
Inq; vitro Bacchus cum ſalit, eſto tuus.

Pauca

Pauca loquens dic multa, gravis, comisq; decenter.
Nullum è convivis non reverenter habe.
Quos tu ſi videas hilares, ne contrahe vultum;
Imò, ſi res fert, deſipiendo ſapé.

CXXXII.

In Lentinum Scortatorem, occulto morbo laborantem.

Diſſimulas morbum, morbo ſed proderis ipſo,
Cum Lentine doles, & velut hircus oles.

CXXXIII.

De Afrâ & Phillide, Sororibus.

Sambuca primò tinnijt,
Strepuitq; poſt hanc tympanum.
Cum parvulâ mox Phillide
Saltavit Afra publicis
In compitis proterviter.
Quod cum videret eminus
Irata mater, protinus
Ambas citavit; & ſtatim
Sambuca facta Phillis eſt,
Et Afra facta Tympanum.

CXXXIV.

Harpum è Cubicularijs aulicis quendam, horologium rotatum clam ſurripientem Princeps tacitè obſervans tam diù detinuit

tinnit affatu, dum horologium ſacco abſconſum ſonaret; juſſus igitur illud depromere furti convictus eſt, in præſens tamen non niſi Satyrico riſu à Principe exceptus.

Ad ipſum Furem.

Si vis furari, cave, furta loquacia ne ſint;
Tunc etenim pro te nil potes, Harpe, loqui.
Imò nî ſileant tua furta, ſilebis in ævum;
Hærebit mediâ vox tibi namq; gulâ.

CXXXV.

Ad Candidianum.

Quo cultu in Divos, queîs vivat moribus Hirro,
Deniq; quid ſtudeat? Candidiane rogas:
Accipe rem paucis, nullâq; ambage: Vacunam,
Lenæumq; frequens & ſine fine colit.
Sæpe Libentinæ ſolet inſuper ille litare,
Cuninæq; brevî munera ſacra feret.
Hoc cultu in Divos, his vivit moribus Hirro;
Deniq; ſic Hirro, Candidiane, ſtudet.

CXXXVI.

Ad Condylum.

Apto Fata mihi, ſi poſſum Condyle; quodſi
Non poſſum, Fatis aptor, ijsq; fruor.
Conſtituant de me, quidquid placet: omnia gratus
Accipiam; præeant, quò libet ire, ſequar.

Unum

Unum non poterunt: ſint robuſtiſſima quamvis,
Tantùm me poterunt ducere, non trahere.

CXXXVII.

Charitas

Omnia ſuffert. Gal. c. 4.

Ad S. Franciſcum Seraphicum ex morbo decumbentem.

Morbus te cruciat; tù morbo baſia figis,
Ac veluti matrem ſtringis utrâq; manu.
Fortiter infirmus, jucundè triſtis, amarus
Dulcè, propinatum fel ſine felle bibis.
Eia age, quis modus eſt, ut ſit dolor absq; dolore,
Atq; in amaritiè nullus amaror? amo.

CXXXVIII.

Juſtitia.

Ad Pannicianum, Judicem.

Trunca manu, ſpoliata oculis Aſtræa ſit; eſſe
Integra non aliter, Panniciane, poteſt.

CXXXIX.

Prudentia.

Ad Paulum, Conſiliarium Regium.

Reſpice *præteritum*, proſpecta Paule *futurum*;
Sic Regi *præſens* & tibi ſemper eris.

CXL.

CXL.

Temperantia.

De Azone & Gallâ, conjugibus.

Non bibit Azo, licet ſitiat; ſic deniq; ceſſat
Sponte ſitis. Non ſic, cùm ſitit, Uxor agit.
Vinum námq; bibit, faciémq; accendit & hepar.
Vir ſitiendo bibit; Galla bibendo ſitit.

CXLI.

Fortitudo.

Fronto Belli Dux ſtrenuiſſimus, continentiſſimusq;.

Quidquid ſors tulerit, conſtat ſibi Fronto, nec hoſtis
Ullius arma timet, ſemper ſeplenus, & acer,
Ac nunquam trepidans; & quæ fortiſſima res eſt,
Tanti animi, modico contentus ut audeat eſſe.

EPI-

EPIGRAMMATUM
LIBER QUARTUS.

I.

Gallicanus ex Victore glorioſo ſponſus Regius, ex ſponſo Regio Monachus.
Teren. in Paſſ.

Filia ſpondetur Regis pulcherrima, ſi Dux
Dacos, & Thraces, exſuperetq; Scythas.
Exſuperat: mox Sponſa datur; tamen ille relinquit
Intactam, Regis nec cupit eſſe Gener;
Sed ſequitur Monachos. Id, quod me Judice plus eſt,
Quàm Dacos, Thraces, & ſuperare Scythas.

II.

De Hachone & Ofellâ.

Hacho cæcutit, pariter cæcutit Ofella;
Membranæ ambobus lumen utrumq; tegunt.
Ut morbum curet, centum petit Uvo Philippos,
Quos Hacho promptè ſolvit, Ofella negat.
Nunc videt Hacho, tenax cæcutit Ofella; nihilq; eſt
Charius huic oculis, Charius huic loculis.

III.

III.

S. Venereus uno eodemq́ die agrum eundem ſulcat, ſeminat, metit. M. Marul. Spal. lib. 3.

Totum *Sanctus* agrum (res ô mirabilis!) unâ
Die colit, ſerit, metitq́; *Venereus.*
Jugiter hoc fieret, *Sancti* ſi jugiter eſſent
Ætate noſtrâ tot, quot exſtant *Venerei.*

IV.

De Othone Senatore.

Comis & urbanus, facilis, totusq; benignus
Eſt Otho: quippe vacat Conſulis officium.

V.

Matthiæ Sarbievij Soc: JESU [illegible]ſis Lyrica.

Cùm modularetur dulces Sarbivius Odas,
Mulcens argutæ fila ſonora Lyræ;
Plauſerunt Muſæ, ſolus non plauſit Apollo;
Nam nec Apollo poteſt ferre ſibi ſimilem.

VI.

Ad Naſidienum.

Cur nullas de te dicant mea carmina laudes?
Indignans cauſam, Naſidiene, petis:
A teneris Mater docuit me aſſueſcere Vero,
Atq; gravis, falſum dicere, culpa fuit.

Quòd

Quòd nullas igitur tibi dent mea carmina laudes;
Succenſe Matri, Naſidiene, meæ.

VII.

Piſcator rete trahens naufragi hominis caluariam capit, cui ſepeliendæ dum fodit ſepulcrum, theſaurum reperit.

Theſaurum reperis, poſtquam tibi *Calua* reperta eſt;
Is tibi ne noceat fortè, *memento mori.*

VIII.

Vita humana miſera conditio. Ad Alanum.

Vita *euaneſcet*, corpus mortale *putreſcet*;
Fumus Alane ſumus, fimus Alane *Fimus.*

IX.

S. Eliſabetha, Princeps Vidua, grauiſſimas injurias æquo fert animo, amictuq; è diverſi coloris centonibus ſarto inſtar mendicabuli incedit, in Vitâ.

Veſtitur variè, variè vexatur Eliſa,
Diſcolor eſt veſtis, concolor illa ſibi.

X.

S. Benedictus in vepribus, S. Franciſcus in nivibus carnis petulantiam coërcent.

Horrida Vepreti Benedictum ſpina cruentat,
Franciſco ſtringunt algida membra Nives.
Candidus hic, Rubicundus is eſt, ſpecioſus uterq;;
Nec tamen hic Veneri, nec Color ille placet.

XI.

Ad Candidianum, Nobiliſſimorum Adoleſcentum Inſtitutorem.

Cum commiſſa tibi ſit tam præclara Juventus,
Non leve momentum, Candidiane, puta.
Gnaviter ergo tuas gere res, ac ſerius eſto;
Sic tamen, ut ſerues, Candidiane, modum.
Quare nec verbis nimium, nec verbere ſævi;
Virtutum tener eſt Pieridumq; Chorus,
Inq; domum blande duci vult Muſa; capillis
Non ſe Muſa ſinit, Candidiane, trahi;
Nec Virtus: quid enim cenſes? puerósne *Magiſtrâ Barbarie* Mores diſcere poſſe bonos?

XII.

Venatio ridicula.

Venati lepores venientem vidimus urſum;
Omnes præcipitem cepimus ergo fugam.
Riſerunt

Riſerunt Lepores, Urſus quoq; riſit, aitq; :
Prô Superi! bipedes quot video Lepores!

XIII.

Ad Jacobum Huſium,
Cùm Vegetium de Militiâ legeret &c.

Bellica venduntur nunc Munia: Centuriones,
Atq; Duces Belli farta crumena facit.
Non Belli Virtus, non experientia rerum;
Hinc nos ludibrio conſcius hoſtis habet.
Dicere ſi fas eſt id, quod res ipſa meretur,
Vendere non eſt hoc Munia, ſed Patriam.

XIV.

Ad Didacum Bidermannum S. J. Oratorem & Poëtam clariſſimum.

Factus es Orator, *Natusq;* Poëta; ſed ecce
Inter Pierides lis agitata fuit:
An *Natura* vel *Ars* tibi plus largita ſit? à me
Deniq; judicium dum petit una, dedi.
Obtigit *Arte* tibi Facundia tanta, Poëſin
Digna ſit è Roſtris ut celebrare tuam.
Eſt tibi *Naturâ* felix, & digna Poëſis,
Quæ canat Eloquium Didace magne tuum.

XV.

Ad Carmenianum.

Comiter ad cœnam te terq; quaterq; vocavi;
Tu mihi tu contra terq; quaterq; negas.

Excuſas

Excuſas equidem, tamen excuſatio nulla eſt;
Et, quam das, ratio nil rationis habet.
Quini ſunt noſtrûm, qui convivabimur unà;
Ut ſimus ſeni, Carmeniane veni.

XVI.

Figulus.

Id ſum, quod facio : luteum Vas. diſcrepo, quòd Vas
A me confectum debeat igne coqui,
Non ego : ſi maneo Vas mundum. Polluor ullis
Si ſcelerum maculis, me quoq; flamma coquet.

XVII.

Ad Petrum Arnonem, Eleemoſynarium Liberaliſſimum.

De Prodigo & Avaro.

Heres ille Sui, ſpoliumq; heredibus hic eſt;
Dives hic eſt aliis, dives at ille ſibi.
Neutrum laudamus; ſed enim laudabilis Arno es,
Qui locuples aliis es locuplesq; tibi.

XVIII.

De Tullo pauperculo.

Tullus Arithmeticæ ternos impenderat annos,
Dumq; artem penitus ſe didiciſſe putat,
Atq; ſuos nummos vellet numerare, ſtupendum
Sit forſan, nullis artibus id potuit.

XIX.

De Sabello.

Si quos Sabellus hoſpites habet domi,
Excipere ſic illos ſolet, tractareq;,
Ut abeat inde quilibet cum gaudio.

XX.

Ad laudatiſſimam Belgarum Nationem.

Inferior noſtrâ veſtra eſt Germania; verùm
Non eſt inferior, ſit licet inferior.
Sed major noſtra eſt, minor eſt Germania veſtra;
Imò minor non eſt, ſit licet illa minor.
Eia age, concordes animos jungamus & arma,
Neutra minor poſthac, utraq; major erit.

XXI.

Majus.

Tempora Veris eunt, campi, ſylvæq; vireſcunt,
Atq; novas promit comptior annus opes.
Ad flores properant pueri puellæq; legendos,
Et per vernantes deliciantur agros.
Lubrica res! inter Pueros dum ſedula flores
Flora legit, *Florem* perdidit ipſa ſuum.

XXII.

Nuntius.

Scitantur omnes, cùm venio: quid fers novi?

Si nil novi habeo, fingo mox aliquid novi,
Hauſtuq; vini ſæpe mercedis loco
Recreor ſiticuloſus; abeoq;,in ſinum
Ridens, mihiq; grator hanc artem novam
Sitis levandæ; nam levo mendacijs.

XXIII.

Mopſus in obſequio peſtiferorum Nebulo patibularius.

Regnat dira lues, ægris ego ſervio; verùm
Dum famulor, piceâ ſublego multa manu,
Nil nocuit peſtis, perij tamen; atq; necatus
Qui non peſte fui, deniq; reſte fui.

XXIV.

Ad Jodocum Strabonem.

Opportunè, importunè, Strabo, ſæpe petîſti,
Ut tandem in lucem carmina noſtra darem.
Feci: mox livens ea Zoilus igne cremavit,
Hoc eſt in lucem carmina noſtra dare.

XXV.

Tinctor.

Bombycem Tinctor, Lanam, Linúmq; coloro,
Quæq; uſu longo ſunt veterata, novo.
Nulla propagata eſt ars toto Latiùs orbe,
Nam Tinctore ſuo vix domus ulla caret.
Virgo ſuam faciem, mendax ſua verba colorat,
Impoſtor fraudes, hæreticiq; fidem.
Pluráne vis exempla dari tibi? ſæpe coloras
Tu quoq; nequitiam, Lector amice, tuam.

XXVI.

XXVI.

Ecce venio, ſicut fur. Apoc. cap. 6. v. 15.

Ad nos cùm venies, ceu fur, velut ipſe minaris;
O ego tunc furtum ſim, pie Chriſte, tuum!

XXVII.

Ad Paulum.

Si qua ſit in noſtris argutia, Paule, Libellis,
Quam Vates etiam forſitan alter habet.
Non me propterea furti damnabis; eandem
Olfecère canes nam duo ſæpe feram.

XXVIII.

Carnifex & Carnarius.

Nomen utriq; Caro dedit; eſt popa ſævus uterq;;
Immolat ille homines, immolat hic pecudes.
Sed, quod mirandum eſt, hic habetur honeſtior illo;
Juſtitiæ quamvis is litet, iſte gulæ.
Nempe popæ huic ſervatur honos jam tempore ab illo,
Quo nobis venter cœperat eſſe Deus.*

* *Quorum Deus venter eſt. Philip. c. 3.*

XXIX.

S. Henricus Divæ Kunegundis maritus Virgineus.

Qui tam formoſâ caſtus cum Virgine vivit,
Judice me vel ſic ſe probat eſſe Virum.

XXX.

Ad Aulum.

Non ſat acuta licèt ſint omnia carmina, debet
Id nobis vitio non tamen, Aule, dari.
Laude ſolet dignus non ſolus aculeus eſſe,
Eſt quoq; laude ſuâ dignus aculeolus.

XXXI.

Acerra eſuritor.

Turpis adulator, necnon paraſitus Acerra eſt;
Quæ paraſitandi cauſa? *Metus Vacui.*

XXXII.

Ad Zoilum.

Delectare parùm dicis mea carmina; quippe
Plurima, quæ feci, ſunt tibi longa nimis,
Nec niſi *curta* probas. Luſus vis, Zoile, noſtros
Ingenio ſimiles ſcilicet eſſe tuo.

XXXIII.

De Othone.

Incepit Virtutis iter bene; deniq; retro
Tam malè vertit iter, quàm bene cepit Otho.

Sidera

Sidera prô quantùm poſſunt! Signoq;, dieq; ,
Quo facit æſtatem Sol, Otho natus erat.

XXXIV.

De Julio Cæſare, & Pompejo Magno.

Cùm Se majorem Cæſar ſufferre nequiret,
Pompeiusq; ſibi nollet habere parem ;
Prô Superi! quanto ſteterat res ſanguine! quantis
Ambitio nocuit cladibus ipſa ſibi!
Ergo ambos Nemeſis ferro configit, aitq; :
Si non Marte pares, ſint, volo, Morte pares.

XXXV.

In Soſibianum jactantem, ſtrenuum ſe Divi Pauli imitatorem eſſe.

* Nos ſtulti propter Chriſtum: Vox aurea! cujus
Jam mediam partem Soſibianus habet.

* *1. Corint. cap. 4. v. 10.*

XXXVI.

De Hylâ.

Ad Labienum.

Jani bifrontis feſtæ rediêre Calendæ,
Et mihi cum Voto munera miſit Hylas.
Votum erat: ut Vates nivei canat inſtar Oloris.
Si ſapio, vult hic me, Labiene, mori.

XXXVII.

Ad Claſſicum.

Quomodo tam ſolus? tua vox eſt Claſſice, ſi te
Contingat noſtram fortè venire domum.
Cur tibi cur ſolus videor? mihi dulcis amicus
Nunquid adeſt, quando, Claſſice, mecum habito?

XXXVIII.

Ad Maximum.

Ridet nos aliquis; nomen ne quærito: namq;
Nullius prorſus nominis eſſe ferunt.

XXXIX.

Amicus.

Quid eſt Amicus verus? hoc omnes ſciunt.
Quis eſt Amicus verus? hoc ſciri nequit.
Nam cuncta plena fraudibus, technis, dolis.
Nihil fidele, candidum, ingenuum, probum;
Totoq; mundo penè, quàm latè patet,
Supereſt Amici ſola Definitio.

XL.

De Cauſidico, & Medico.

Juridicus Cauſam Medici cunctanter agebat,
(Mulgendi loculos hic modus eſſe ſolet.)
Sed tacitè riſit Medicus; cauſámq; rogatus,
Olim ægrotabit, dixerat: & tacuit.

XLI.

Roſa Supremus Equitum Præfectus, in Mergenthemienſi prælio multâ in Bavaros editâ ſtrage tandem ab ijsdem capitur.

Quæ tam jucundo Gallos afflavit odore,
 Carpta quidem à Bojis eſt Roſa, ſed pupugit.

XLII.

De Frontone.

Uxori iratus Fronto, vitámq; peroſus,
 Jurgia ſic inter cætera fatus erat:
Aut morere, aut moriar! quàm promptus fata ſubirem!
 O Lacheſis! noſtram deproperato colum!
Mors optata veni! vel ſi non veneris ultro,
 Fata ſubibo tamen. Dixerat uxor, Amen.

XLIII.

Dormiêrunt Somnum ſuum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus ſuis. Pſ. 75.

Poſt mortem in manibus nihil invenêre Tenaces;
 Id manet in manibus, quod dabis è manibus.

XLIV.

In Afram.

Tam vivis pinxit te Saxo coloribus Afra,
Ut non ſis ſimilis Tu magis ipſa tibi.
Re tamen effigies, quàm Tu, præſtantior unâ
eſt:
Garrula Tu nimiùm, litigioſa, dicax;
Illa modeſta, pudens, taciturna, & amabilis;
ut, qui
Te non noviſſet, crederet eſſe probam.

XLV.

Votum Authoris.

Zoilus, opto, legat multus mea carmina; poſt
hunc
Non legat illa Gnatho, ſed legat illa Cato.

XLVI.

Mendicus.

Non pretio, precibus ſupplex mihi comparo
Victum;
Per Chriſtum Dominum noſtrum comedoque,
biboque.

XLVII.

S Stephana Martyr. M. Marul. lib. 5.

Omnia devicit Martyr tormenta: quid ergo
Commeruit? Stephanum commeruit Ste-
phana.

LXVIII.

XLVIII.

De Antonio Criminali, Soc. JEſu Protomartyre.

Hic, quem videtis enſe mactatum impio,
Inſons & absq; labe nullo polluit
Se ſcelere. Promulgare enim legem Dei
Quis crimen eſſe dicat? hoc verè tamen,
Quòd cauſa Criminalis ſit, dici poteſt.

XLIX.

Exequiæ.

Funus præcedit, ſequitur lugubriter heres,
Atratusq; tegit nigro velamine vultum,
Ut ſubridentem poſſit jam nemo notare.

L.

S. Medericus hominem obſcœnis cogitationibus æſtuantem tunicâ ſuâ indutum perſanat. Marc. Marul.

Heu, quid de noſtrâ fas eſt ſentire Juventâ!
  Caſtos ſe jactant & pueri, & pueræ.
Et tamen aſſiduè comeduntq;, bibuntq;, canuntq;
  Saltantq;; ô Tunicam da, Mederice, tuam!

LI.

Ad Cæcilianum
De Virtute.

Hanc tu Virtutem veram, ſolidamq; putabis,
Quæ nunquam ſatura eſt, Cæciliane, ſui.

LII.

De Taſſone Medico.

An multos habeat Patientes? Taſſo rogatus,
Ægros, reſpondit, multos; nullum patientem.

LIII.

Sereniſſimus Princeps Ludovicus Marchio Badenſis non niſi cum tribus ſuorum millibus ſedecim Turcarum millia cædit, fugatq;.

Quantumvis habeat tot millia Turca virorum,
Non tot Turca Viros, quot Ludovicus, habet.

LIV.

Idem Sereniſſimus Princeps, urgente compulſus fame, bis eadem æſtate Turcas invadit

invadit, ceditq́; commeatu, caſtris,
impedimentisq́; ſemper omnibus
exutos.

Deficiunt alimenta Ducem: victricia vexat
(Culpa Sitarchorum eſt) Cæſaris arma fames.
Sed ridet, triſtémq; famem nolite timere
Dux ait, annonæ nam ſatis hoſtis habet.

LV.

De Melampo.

Ad Ponticum.

Pontice, noſter habet longiſſima crura Melampus;
Nuper tardigrado cùm veheretur equo:
Subdendo calcar, pupugit ſub ventre caballi
Sanguineo proprios non ſine rore pedes.
Riſerunt omnes, dixitq; procacior unus:
Hem, non pungit equum, pungit at hic Aſinum.

LVI.

De Abrone. Ad Bæticum.

Bætice, credit Abron, quidquid narratur: Aſellos
Humanâ Romæ dicito voce loqui,
Dicito, Tænariæ ceſſâſſe incendia flammæ,
Dæmonas in Cœlo rurſus habere locum.

Per mare dic Lepores, Ceruos volitare per auras,
Per ſylvam Piſces currere: credet Abron.
Quin imò ſi te ſapientem dixeris eſſe;
Hoc quoq;, ne dubita Bœtice, credet Abron.

LVII.

De Mure, præcedentia duo Authoris Carmina devorante.

Epigramma duplex feceram, ex incuriâ
Olei liquorem deſuper
Fundens; & ecce plurimùm indignans mihi
Abeo, relictis omnibus.
Olfecit offam Muſculus famelicus,
Adeſt, voratq; Carmina,
Et moritur; etenim mortuum reperi. Stupes?
Perijt vorans aculeos.

LVIII.

Sceletus Hominis in tabulâ artificioſè depictus.

De Tullio.

Stans coram Sceleto, magnus quem pinxit Apelles,
Depicta *ad viuum Mors* eſt hæc, Tullius inquit.

LIX.

Ad Maximum.

Hoſtem non habeo: ſaltem vult nemo videri
Eſſe

Eſſe mihi talis; quâ causâ? epigrammata ſcribo.

LX.

Cùm Author æger decumberet.
Ad Cæcilianum.

Huc ventum eſt! Medicus vino interdicere nobis
Audet, & ad coctam nos malè damnat aquam.
Sed ne lædatur medicatis forſan ab undis,
Et vitium Stomachus, Cæciliane, trahat,
Sub finem menſæ vitrum concedit is unum
E Cretâ dulcis, Cæciliane, Meri.
Tam præcellenti ſi noſtra epigrammata fine
Clauduntur, nullum non epigramma bonum eſt.

LXI.

Ad Hernicum.
De novo, quo hortum exornavit, fonticulo.

Dum ponis vivum niveo de marmore fontem,
Hoc ego (quod faxint Flora, Thetisq;) precor:
Ut purus, nitidúsq; tibi fluat Hernice; mentis
Non aliter poterit Symbolon eſſe tuæ.

LXII.

Ephippiarius.

Farcio pulvillos, ſellas, & Ephippia; Sedes
Ut tibi ſit mollis, dura crumena mihi.

LXIII.

Balneator.

Tondeo, ſcarifico, ſudorem extrudo. Tenaci
Hæc multus patitur Subditus à Domino.

LXIV.

Ad Linum.

Venatio Leporis curioſa, Trautmansdorpij in Auſtriâ.

Vertagus inſequitur Leporem; fert ille fugaces,
Qua-via-cunq; patet, per ſata plana pedes.
Attamen inſtantem ſentit nihilominùs hoſtem
Prendere penè latus, prendere penè caput.
Hinc facit ambages dubias, & ludit hiantem,
Et vafer argutas iniicit usq; moras.
Mox ergo Accipiter, vinclis emiſſus, adinſtar
Fulminis in miſerum terq; quaterq; ruit.
Fruſtra: vitiferos etenim celer attigit hortos,
Et Canis incurſus Accipitrisq; ſtitit.
Cedere Majori, Line, non ingloria res eſt;
Victricem reddis nam fugiendo fugam.

LXV.

LXV.

Miles inſons ex ſolâ Ducis de commiſſo ſcelere ſuſpicione morti adiudicatus, totâ Urbe indignante.

Reclamant omnes; trahitur nihilominùs inſons
Miles, quem ſolus Dux putat eſſe reum.
Pendulus è ligno totâ ſuſpectus ab urbe eſt,
Totâ ſuſpectus nec tamen urbe fuit.

LXVI.

Sarai uxorem tuam non vocabis Sarai, ſed Sara. Gen. 17.

Perdidit antiquum Nomen Sara. Nempe maritis
Eſſe domi Uxores vult Deus, haud Dominas.*

* *Sarai, Latinè Domina mea.*

LXVII.

Ad eandem Saram.

Unica de toto tibi Nomine litera dempta eſt;
Scilicet haud aliter pax queat eſſe domi.

LXVIII.

Ad Pontilianum.

De Roſâ Jericho, quæ Mechliniæ ſingulis Feſtis B. M. V. ſeſe aperiens, ob inqui-

linum Judæum clauſa eſt; eo verò ejecto, ſe rurſus aperuit. Piſc. in adverſ.

Eſſe quid hoc dicam? recluditur egrediente,
Clauditur Hebræo ſed veniente Roſa.
An fors è Cœlo demiſſus Floſculus, Horti
Naturam ſequitur, Pontiliane, Sui?

LXIX.

Ad Poſthumianum.

Quando tuam cupio cognoſcere Nobilitatem,
Tu Patrem, & claros mox recitas Atavos.
Non ego non iſtud deſidero; Nobilitatem
Noſcere ſed cupio, Poſthumiane, *tuam*.

LXX.

Epitaphium Amyntæ Studioſi Academici, vinolenti heluonis.

Conditur hoc tumulo Juris StudioſusAmyntas;
Aſt idiota fuit, cauſa diota fuit.

LXXI.

De Hermogene.

Dentibus Hermogenes noctuq; diuq; *laborat*,
Nam convivari nocte dieq; ſolet.

LXXII.

LXXII.

In Harbonem degenerem.

Clarâ ſtirpe ſatus, proprijs virtutibus Harbo
Reſplendet veluti Cynthia, quando nova eſt.

LXXIII.

Mancipium.

Mens ſibi ſi conſtet, non ſum, cùm ſervio, Servus;
Centum me teneant vincula, liber ero.
Et quamvis modico fuerim divenditus auro,
Poſſum ingens pretium, ſi lubet, eſſe mei.
Deniq; mancipium nullâ ſic compede ſtringes,
Virtutis mediâ quin queat ire viâ.

LXXIV.

Bella Gliſcentia.

Ad Pontilianum.

Heu mihi! quàm nobis epulum crudele paratur,
Cùm Reges Bellum, Pontiliane, coquunt.

LXXV.

Ebrius aquis ſubmerſus.

Ebrius in flumen cecidit, tantumq; ſub undis
Hauſit aquæ, quantum vini priùs hauſerat, atq;
Interijt, nequiens duo Numina ferre; docensq;,
Noxia quàm res ſit, Thetidem miſcere Lyæo.

LXXVI.

LXXVI.

Contemplatio Horologij ſolaris.

Ordine deſcriptas levis aufugit umbra per horas;
Quænam eſt hæc, quæ ſic aufugit, Umbra? Ego ſum.

LXXVII.

Epitaphium Pontilianæ.

Non verboſa fuit, nihil unquam turpe locuta eſt,
Nec mentita ſuo Pontiliana Patri.
Non fuerat rixoſa domi, non garrula templo,
Non in linguaci litigioſa foro.
Nulli obtrectavit, nulli convicia dixit,
Deniq; lapſa ſuo nec ſemel ore fuit.
Ne mirare nimis tamen Hoſpes candide, talem
Quòd ſe præſtiterit fæmina: muta fuit.

LXXVIII.

Fabullus Bibliothecæ iners poſſeſſor.

Bibliotheca tibi plena eſt, grandemq; librorum
Oſtentat illa copiam.
Sic quoq; plena mero ſæpe eſt vinaria cella,
Sed Dominus eſt abſtemius.

LXXIX.

Vietor.

A me confecto concludo carcere Bacchum;
Sed quamvis claudam carcere, *LIBER* is eſt.

LXXX.

LXXX.

De Haddone, milite.

Haddo ſuos mores communi excuſat ab uſu;
Uſu, militibus qui ſolet eſſe frequens.
Si commeſſatur, ſi ſit noctuq; diuq;
Ebrius; in Bello ſic, ait, uſus habet.
Irâ ſi victus maledicit, eumq; Sacerdos
Increpat; in Bello ſic, ait, uſus habet.
Si furtum faciens ciſtas effringit, & arcas;
Ridet, & in Bello ſic, ait, uſus habet.
Hæc dum Stultus agit, deprenditur, atq; jubetur
Suſpendi. Cæſus mallet is enſe mori;
Dumq; rogat fruſtra, lictor muſſabat in aurem:
In Bello fur ut pendeat, uſus habet.

LXXXI.

Forma Corporis.

Turpis Amella bona eſt, mala pulchra Saluſtia: fecit
Non bona forma bonam, non mala forma malam.

LXXXII.

Lucia, Sponſa indotata.

Pauper, ſed prudens & caſta eſt Lucia; talis
Cum ſine dote venit, non ſine dote venit.

LXXXIII.

LXXXIII.

Martyrium S. Jacobi.

Quæ te præcipitem Templi de culmine miſit,
Non te deiecit, ſuſtulit imò manus.

LXXXIV.

De Fulcone.

Fulco domum veterem, & multis circum undiq; rimis
Turpè fatiſcentem cæmento obſtruxit, & extus
Tam nitidis pinxit varijsq; coloribus, eſſe
Prorſus magnificas credat Spectator ut ædes.
Par ipſe eſt domui: laceras bombycina veſtes
Pallia namq; tegunt, pretioſis ſplendida limbis.
Cœnat in argento: Sex dant piſtacia cœnam.
Vinum dulce bibit ſitiens, & potat in auro:
Octo ſed partes aqua ſunt, pars nona Falernum.
Serica circumdant Lectum velamina; poſt quæ
Sub craſsâ feſſum corpus lodice reponit;
Et cubat in ſtipulis. Auſterè Fulco ſuperbit.

LXXXV.

Vade ad Formicam piger.

Proverb. cap. 6.

Ad Caſſiodorum.

Cùm teneris Genitor Muſis te conſecret, omni,
Ne tibi quid pereat temporis, arte cave.
Quasq; agitant pueri damnanda per otia nugas,
Has tu ceu peſtem, Caſſiodore, fuge.

For-

Formicam nunc eſſe decet, non eſſe Cicadam, *

Qui Formica modò eſt, eſſe Cicada poteſt.

* *Æſop. in Fabul.*

LXXXVI.

Faber Serarius, & Clavarius.

Fab. Ser. Ne fur ne forſan cellas expilet, & arcas,

Conficio doctâ clauſtra ſerasq; manu,

Fab. Clav. Hæc niſi ſufficiant, robuſtum fabrico clavum,

Qui, fur, ſit furtis ultima meta tuis.

LXXXVII.

Ad Tryphiodorum.

Pretium Temporis.

Non rês, ſed rerum nobis conceditur uſus;

Erras, ſi quidquam dixeris eſſe tuum.

Aut ea te fugient, aut tu pereundo relinques,

Quorum te Dominum, Tryphiodore, putas.

Nobilior longè eſt poſſeſſio temporis: hujus

Unica ne pereat vel tibi mica, cave.

Omne quidem tempus properè fugit, & perit; ut jam

Nec ſit, nec poſthac ampliùs eſſe queat.

Aſt niſi dilapidas, ſed rectè impenderis illud,

Nec fugiendo fugit, nec pereundo perit.

LXXXVIII.

LXXXVIII.

De Frontillone.

Quamvis æſtivo feruens ſol ardeat igne,
Et ſiccos findat flamma Leonis agros.
Nunquam ſe totum Frontillo ſitire per annum
Dicit; quæ cauſa eſt? nocte dieq; bibit.

LXXXIX.

Epitaphium Caroli, Lotharingiæ Ducis fortiſſimi.

Ad hoſpitem Lectorem.

Ne tu plebejos cineres hîc crede jacere,
Dum ſpectas modicæ marmora parva ſcrobis.
Multiplices palmas (bene geſti ſymbola Belli)
Quas fuſo toties Victor ab hoſte tulit,
Si ſimul hâc terrâ placuiſſet condere, toto
Non major tumulus forſan in orbe foret.
Verùm non decuit Palmas tumulare Sepulchro,
Quæ nunquam poterunt, Lector amice, mori.

XC.

In Sorbilianum Poëtam.

Metra obſcura facis, recitas ſed voce Sonorâ,
Ne quis te clarum, Sorbiliane, neget.

XCI.

Codrus Muſicus Aulicus.

Tibicen Codrus eſt: ſed nunc ſuſceptus ad Aulam
Non vult Tibicen dici ampliùs, aſt Auletes.

XCII.

De Gellia aniculâ.

Pulchra quidem fuerat, ſed turpis Gellia nunc eſt;
Longa ætas formam depopulata fuit.
Pellis facta nigra eſt, frons aſpera, naſus acutus,
Atq; plicat ſcabras plurima ruga genas.
Hinc gemit, atq; modos omnes exquirit, & artes,
Et, quamcunq; poteſt, undiq; poſcit opem.
Nec parcit loculis; larga eſt profundere nummos,
Quos Medicus tacito non ſine ſplene capit.
O ſtultam! fruſtra es: ceſſa, bona Gellia, ceſſa!
Poſt caput abſciſſum, dic, quis emit petaſum?

XCIII.

Author ad Libellum ſuum.

Ne te ne pudeat parvum nimis eſſe Libellum,
Heu mihi! quàm timeo, ne videare liber.

XCIV.

XCIV.

De Lepore.

Eſſet ab imbelli cùm captus milite, cepit
Multa rogans trepido ſic Lepus ore loqui:
Parcito! non aliâ ſi vis mihi parcere cauſâ,
Hæc tibi ſufficiat: Parce *Tui ſimili.*

XCV.

Sabba monachus S. Hilarionem cum trium millium monachorum comitatu ad Vineam ſuam invitat, omneſq; refocillat.

In Vitâ S. Hilar.

Cùm ſis in Fratres tam largus, tamq; benignus,
Dignus es inverſo nomine SABBA legi.

XCVI.

De Aſtianacte.

Ad Aulum.

Exul quòd fuit Aſtianax, lectiſſima conjux
Quòd periit, flammis quòd fuit uſta domus,
Non infelicem tu dicito; namq; feroces
Fortunæ incurſus leniter ille tulit,
Atq; ſui ſimilis nullo non tempore, Felix
Sat fuit is, fortis qui ſatis, Aule, fuit.

XCVII.

De Tullio, & Gelliâ uxore.

Tullius uxori ſuſpectum objecit amorem,

Curan-

Curandæq; domûs Neglectum, oriſq; dicacem
Nequitiam; ac tandem pugnos fuſtemq; minatus
Subiecit: Mihi tu facias hæc talia? faxo,
Non patiar; ſi vis ea diſſimulare Maritum,
Fac, Stulto nubas. Reſpondit Gellia: nupſi.

XCVIII.

Ad Labienum Epigrammatarium.

Mucronata ſatis tua ſunt epigrammata; verùm
Pungunt principio, poſtea finis hebet.
Non placet: emenda. nam quando epigramma ferocit,
Scorpius eſt: colubrum tu, Labiene, facis.

XCIX.

De Antonio Syro.

Procerus valdè Syrus eſt; tumideq; ſuperbus
Contemnit pumilos; nec Stultus cogitat, eſſe
Præcelſo ſteriles plerumq; in vertice montes.

C.

De Pumilis.

Acrior eſt modico collecta in corpore Virtus,
Et vivax mentem Spiritus intùs agit.
Sed licet hæc pumilos commendent, attamen illos
Compertum eſt aliquid ſemper habere ſui.

CI.

CI.

Ad Hermum.

Nec nimiùm magnus, nec parvus es, Herme, Staturâ;
Sed tantus, quantus ſufficit, Herme, Vir es.
Ingenium promptum eſt, ſed non nimis; attamen illo
In tantum, quantum ſufficit, Herme vales.
Polles Judicio: maturus es Herme, ſapisq;;
Sed tantum, quantum ſufficit, Herme ſapis.
Tu Muſis, Muſæq; tibi ſunt præſto, faventq;;
Sed tantum, quantum ſufficit, Herme favent.
Inſuper es locuples, ſed non nimis æra redundant;
Sed tantum, quantum ſufficit, es locuples.
Has inter laudes non eſt pars ultima laudis,
Quòd tibi ſufficiunt, quæ tibi ſufficiunt.

CII.

S. Galla Vidua, fœdâ ſcabie laborans, nubere à Medicis jubetur, futurum alioquin, ut ex ægritudine illâ mento barba ſuccreſcat. S. Gregor.

Conjugium ſuadent Medici, ſed Galla recuſat;
Conſtituit ſoli quippe vacare Deo.
Adde, quòd ambigua eſt res, inquit, nubere; nam quis
Obtinget nobis? an bonus? anné malus?

Quæ

Quæ verò ſævum, quæ vafrum, quævé ſuper-
bum
Aut velit aut poſſit fœmina ferre Virum?
Barba mihi creſcet: creſcat. Sævum atq; ſu-
perbum
Nolo ferre Virum; malo *referre* Virum.

CIII.

De Alexandro Magno.

Cui non ſuffecit totus *Terræ Ambitus*, illum
In *Terræ Centro* nunc habitare putant.

CIV.

Ad Ponticum.

Parvus eras, trimusq; puer; Materq;, Paterq;
More ſuo multis Te petiêre jocis.
Se Gnatum genuiſſe bonum Pater affirmavit;
Sed Mater dixit, ſe peperiſſe malum.
Cui credas? petiit genitor: Matriné? Sibiné?
Ambiguæ Sortis res tibi viſa fuit.
Non credas Matri? poſthac pyra, poma negabit;
Non credas Patri? cruſtula nulla dabit.
Ergo ambos dixti veraciter eſſe locutos,
Teq; ſat eſſe bonum, teq; ſat eſſe malum.
Mater ad hæc: ſenſim puer hic ſe corrigit; ecce
Mentitus mediâ non niſi parte fuit.

CV.

Papinius Corylus, fugax duellator.

Continuò pugnat Corylus; ſed ſemper Arena,
In quâ pugnatur, fit Corylo Stadium.

CVI.

De Maronillâ.

Ver Puera, Æſtatem Sponſa, Autumnumq; Marita,
Atq; Anus orba viro Brumam Hyememq; refert.
Ætatem hanc omnem lætè Maronilla peregit;
Nunc Ver poſt Hyemem nolle redire, dolet.

CVII.

Chirurgus.

*Percutit, & ſanat; ſecat, urit, datq; Salutem;
Chirurgum ſimilem quis neget eſſe Deo?

S. Auguſtin.

CVIII.

De S. Amatore. M. Marul. Spal. lib. 4.

Conjugium tenerâ celebrans cum Virgine, caſtum
Eximiâ coluit cum pietate thorum
Nec tetigit ſponſam, Virgo cum Virgine manſit
Quodque caput! qui ſic manſit, AMATOR erat.

CIX

CIX.

Ad Ponticum.

Nemo hominum, dixi, culpat mea carmina; mox tu,
An tua non culpat carmina Momus? ais.
Sic eſt: latrantem ſed debes, Pontice, Momum
Non homines inter ſed numerare canes.

CX.

Ad Sereniſſimum Principem Ludovicum, Marchionem Badenſem, cùm in Salankamenſi prælio Turcas acriter à fronte reſiſtentes circumductâ exercitûs parte à tergo aggreſſus funderet; caſis, ut minimùm viginti quinq; millibus.

Cùm frontem obiicerent, à tergo aggreſſus es hoſtes;
Nec porrò vultus oppoſuêre ſuos.
Ergo quid egerunt? fugerunt; quippe videndi,
Quis premat à tergo, non habuêre moram.
Turca tamen quidam riſit, dixitq; ſodali:
Qui nos inſequitur, dorſaq; noſtra ferit;
Quamvis immineat nobis poſt tergora, non eſt
Poſterior nobis; eſt, mihi crede, prior.

CXI.

De Rufo.

Rufus amare probos tantùm ſe dicit; avaros

Æruſcatores, incœnatoſq; Gnathones,
Fureſq;, & Mæchos, palpatoreſq; bilingues,
Et Veteratores odit cane pejus & Angue.
Quis putet! in noſtro jam nulla Philautia Ruſo
eſt.

CXII.

S. Theodora adulterium expiat, Monachum induta, ac Theodorum ſe nominans. Jacob. de. Vorag.

Quod peccat Theodora, luis Theodore; ſceluſq;
Aſſiduas inter fleſq; doleſq; preces.
Sed quamvis ores, & plores, præmia Cæli
Non Theodore capis, ſed Theodora capit.

CXIII.

Idem Theodorus, accuſatus, quaſi fæminam imprægnâſſet, omnia diſſimulat, natumq; infantem enutrit, ſanc̄teq; educat ceu filium. Jacob. de Vorag.

Crederis eſſe pater Theodora, nec abnuis; imò
Infantis plus quàm ſedula cura tibi eſt.
Diligis & nutris illum, Sanc̄teq; gubernas;
Hoc demum veri quis neget eſſe patris?

CXIV.

Ad Naſidienum.

Multum, quod pungat, multum me credis habere,
Quod doleat, ſed me diſſimulare putas.

Nil

Nil ego diſſimulo, ſed vinco; cordis amaror
Plus fellis, quando diſſimulatur, habet.
Finge, quod haud patiar fieri, ſed finge, dolorem
Cordis in internum ſe penetrare ſinum:
Hoſpes erit tantùm noſter, non incola, quique
Optet tam rigidum non ſubijſſe Larem;
Et migret, & nôrit, me non tolerare, meum cor
Carnificis fieri, Naſidiene, domum.

CXV.

Nicetas Martyr invictiſſimus &c. Martyrolog.

Inclyte divini Niceta aſſertor honoris,
Atque ſimul Vindex Nominis ipſe tui.
En, Nervus, Meretrix, Hamus, Suſpendia, Fumus,
Currus cum Clavis, Mucro, Venena, Rogus,
Lamina candeſcens, Manuum ſectura, Pedumque,
Et Fovea, & Pilum ſunt ſuperanda tibi.
Macte animo! pugna Juvenis fortiſſime, pugna;
Nicetas alio non potes eſſe modo.

CXVI.

De Pantaleone Medico. Ad Caſtricum.

Pantaleon Medicus cur tanto tempore vivat,
Nec mortem timeat? Caſtrice, ſæpe rogas:

Rem tibi vis dicam? Venatrix. Caſtrice, mors eſt;
Tam præcellentem non necat illa canem.

CXVII.

Divus Sanctulus ardente in Proximum Charitate, prodigijsq; clariſſimus.
S. Greg. in Dial.

Quem Dius ille Spiritus
Sacris peruſſit flammulis,
Imis ut in præcordijs
Delapſa Cœlo Charitas
Arderet inſtar Lampadis,
Totiq; mundo oſtenderet
Virum ter admirabilem.
Hunc tot celebrem laudibus,
Tot inclytum Virtutibus,
Vnctumq; tot chariſmatis,
Clarumq; tot miraculis,
Audent vocare *Sanctulum.*

CXVIII.

S. Clementinus, ob commiſſam Apoſtaſiam pœnitens, corpus ſuum vetuit humari;
At S. Petrus ſepeliri id jubet.

Abjuras Chriſtum: Facti mox pœnitet; & vis
In pœnam tumulo ſponte carere tuo;
Atq; tuum canibus poſt fata relinquere corpus,
Sed vetat id Petrus, Nempe ſui meminit.

CXIX.

CXIX.

Ad Firmicum.

Optandum nihil eſt vulgariter; improba non ſint
Vota tamen, ſed queis ſumma ſit iſta: Satis.
Menſurâ ſtet quisq; ſuâ: Mediocria ſæpe
Præſtant; atq; juvat rebus ineſſe modum.
Infelix ille eſt, nimium cui contigit eſſe
Felicem. Noſtram ſi velit ire domum,
Optima Sors non ſit: Si ſit bona, ſufficit; imò
Optima Sors non eſt optima, Firmice, Sors.

CXX.

De Rufo.

Quàm graviter Vulpes fugiens, pinguisúe cloaca,
Tam graviter Rufo Spiritus oris olet.
Nec tamen in toto dens illi rancidus ore eſt;
Nec liquefacta putri viſcera tabe fluunt;
Clauſus & eſt Stomachus. Quid id eſt ergo, aut quid in ore
Usq; adeò ſordet deniq;? Propria Laus.

CXXI.

De Luſco.

Furtum commiſit, Factoq; prehenſus in ipſo
Penè fuit Luſcus; Sed enim ſpecus abdidit illum,
Delituitq; diù; cæcam dum deniq; lictor

Ad latebram veniens furem perſenſit ineſſe;
Quem fortè audierat, cum reſpiraret anhelans.
Protracto vetitum eſt, ne reſpiraret in ævum.

CXXII.

Ad Lucrinum.

Cùm veram ſui effigiem ex marmore ſculptam Atrio impoſuiſſet.

Quam tibi tu Statuam duro de marmore ponis,
Et vultum, & mores exprimit illa tuos.

CXXIII.

Multiplex S. Petri ad Galli cantum fletus.

Petrus, cæleſtes divini Pneûmatis ignes
Concipiens, vario cœperat ore loqui.
Græcus eum Graio, ſtupuitq; Hiſpanus Ibero,
Atq; Italus Latio dicere verba ſono.
Mirabatur Arabs Nabathæâ voce loquentem,
Gentilemq; Syrus credidit eſſe ſuum.
Adſtitit hos inter quidam naſutior, & qui
Sæpe udum lacrymis viderat antè Petrum.
Hic inquit: cum tot linguis, ô Petre, loquaris,
Dic, cur gallorum non tibi lingua placet?

CXXIV.

Ad Labienam.

Cùm vultum Labiena tuum laudaret Amyntas,
Verſibus his carmen finijt ille ſuum:

Sidera

Sidera bina nitent oculis, maliſq; Liguſtrum,
Et Roſa rubra labris, oreq; dentis Ebur.
In te quiſquis Ebur ſic prædicat, hic Elephantem,
Si ſapis & ſentis, Te Labiena facit.

CXXV.

Fuga Jactantiæ.

Nunquam te jacta poſt magna decoraq; facta;
Præſtans magna placet, ſi ſua Facta tacet.

CXXVI.

Omnes, quæ ſua ſunt, quærunt.

Philip. 2.

Omnes, quæ ſua ſunt, quærunt: ait inclytus ille
Præceptor, mundi dum malefacta notat.
Sed quid correctum eſt? an & hoc ſic vivitur æuo,
Et quærunt omnes, quæ ſua ſunt? Utinam.

CXXVII.

De Iſidoro, Agræ Filio.

Urbis totius luſus, populique cachinnus
Publicus, ingentem Naſum Iſidorus habet.
Corpore vix aliquid reliquo eſt; namque omnia avarus,
Dum membra exſugit cætera, Naſus habet.
Et quod mireris, conceptum ventre puellum
Non niſi ſeptenis menſibus Agra tulit.

Si

Si geſtâſſet adhuc geminis Agra menſibus illum,
Tunc præter Naſum nil peperiſſet Agra.

CXXVIII.

Ad Zoilum.

Perlege, de noſtro quæ ſcripſi, Zoile, libro,
Non tu judicium planius ipſe feres.
Nil hîc nil canitur; merus at mihi rudit aſellus,
Offendent aures barbara metra tuas,
Jurabis tardos grallis incedere verſus,
Tam lento motu plumbea vena fluit.
Stricturæ hîc nullæ, nullum vibratur acumen,
Cuncta ſed obtuſo ſunt hebetata ſtylo.
Denique, quod fateor, toto mihi Zoile libro
Ingenij nihil eſt, Judiciique nihil.
Num plana hæc Criſis eſt? cogam te, Zoile, cogam,
Poſtremum ut nobis ſaltem epigramma probes.

FINIS.

VITTORIO EMANUELE BIBLIOTECA

Digitized by Google

Digitized by Google